AUTHOR:

SPOHN, FRIEDRICH A. W.

TITLE:

LECTIONES
THEOCRITEAE

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1822]

Master Negative #

92-80667-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET


Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


```
BKS/SAVE  Books        FUL/BIB   NYCG92-B37477          Acquisitions     NYCG-NEH
FIN ID NYCG92-B37477 - Record 1 of 1 - SAVE record
+
 ID:NYCG92-B37477             RTYP:a    ST:s    FRN:   MS:   EL:        AD:06-08-92
 CC:9668  BLT:am      DCF:?   CSC:?    MOD:    SNR:         ATC:        UD:06-08-92
 CP:gw     L:lat      INT:?   GPC:?    BIO:?   FIC:?        CON:???
 PC:s     PD:1822/            REP:?    CPI:?   FSI:?        ILC:????    II:?
 MMD:     OR:    POL:    DM:      RR:          COL:         EML:      GEN:   BSE:
 040      NNC‡cNNC
 100 1    Spohn, Friedrich August Wilhelm.
 245 10   Lectiones Theocriteae‡h[microform].‡bSpecimen primvm qvo...‡cinvitat F
        ridericvs Avgvstvs Gvilielmvs.
 260      Lipsiae,‡bLitteris Staritii, typogr. univers.,‡c[1822].
 300      48 p.
 LDG      ORIG
 QD       06-08-92
```


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/19/92   INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202















LECTIONES THEOCRITEAE

SPECIMEN PRIMVM

QVO

CANDIDATOS MAGISTERII

AD

SOLEMNIA EXAMINA

INVITAT

FRIDERICVS AVGVSTVS GVILIELMVS SPOHN

LITTER. GRAEC. ET LAT. P. P. O.

ORDINIS PHILOSOPHORVM

H. T.

PROCANCELLARIVS

LIPSIAE

LITTERIS STARITII, TYPOGR. VNIVERS.

1822

Quod prae ceteris Theocriti carminibus peculiari quadam suavitate audientium animos solet delinire, exhibens mulieres Syracusanas Alexandriae sacra Adonidis spectantes, tot tantisque refertum est difficultatibus, ut etiamnum post summorum virorum labores plurimae restent, eaedemque haud facile removendae. Itaque nescio an operae pretium sim facturus, si ego nunc ad solemnes quosdam dies invitaturus in explicando illo et nitidissimo et difficillimo carmine, quod a solemnibus sacris Adonidi actis argumenti originem repetit, qualecunque posuerim studium.

Sed in ipso statim introitu et quasi a limine video mihi esse discedendum a recepta interpretum opinione, tum de tempore, quo Theocritus illud carmen composuerit, eiusque consilio, tum de ratione qua mulieres illae, quasi in scenam prodeuntes, convenerint. Solet autem scriptum id putari Alexandriae, si minus iubente, at invitante certe et excitante Ptolemaeo Philadelpho, ut nobili carmine et sacra Adonidis splendidissima et laudes atque honores ipsius regis celebrarentur.

Quod quam ineptum sit quum senserit Passovius, veriorem is sententiam indicavit in Bibliotheca critica Hildes. 1821. I. p. 86., neque ita tamen comparatam, plane ut ei assentiar. Recte quidem monet maxime ineptum fuisse Theocritum, si Ptolemaeo regi praesenti videntique ista oblectamenta, immo paranti, minutissimum quemque ornatum diligentissime enumerare voluisset et verbis adumbrare, tanquam maxime ignoranti. Rectissime etiam addit, se non videre, quo tandem modo Aegyptii, v. 48. et 49. acriter notati, hasce laudes praesentis poëtae tulisse putandi sint. Neque ego unquam hoc vidi, ideoque doleo, Passovium in illis substitisse.

Quod Theocritus Alexandriae nisi vapulare gestiens scribere non potuit, in Sicilia scripsit inter populares iocans, neque vero tantum ut iocaretur, verum etiam ut avocaret populares a peregrinatione; cavens illis salibus, quibus Aegyptios perfricuit, ne Siculi e patria per Hieronis sapientiam in tranquillitatem iamiam pacemque restituta nimis frequentes exirent, felicius se in Aegypto peregrinari posse opinati. Docet enim poëta festivis illis sententiarum leporibus, quod iam suo illustratum erat exemplo, remanere in Sicilia aut redire adeo illuc debere, qui sapiat. Quid enim aliud indicat, quam Siculis, Alexandriam abeuntibus non optime evenire, ac vivere eos humiles illic, pressos et neglectos, egenos adeo, nisi rem strenue curent, omninoque contemtos ab Aegyptiis, quorum mores pessimos esse, etsi nunc minus scelesti sint, quam paullo ante fuerint, versus 46. - 50. manifesto testantur. Alios adeo Graecos ibi Siculis maximeque patrio eorum sermoni Dorico illudere haud tecte innuunt versus 87 et 88. Itaque non solum versibus 90 - 93., sed tota carminis ratione poëta populares Syracusanos excitat, ut qui sint desinant nescire, indicans esse

fortunatos, sua si bona norint.

Attamen haec omnia tam admirabili temperata sunt arte, ut neque Ptolemaeo, cui multa debebat, a grati hominis officio plane deesse videretur, neque e lepida totius carminis festivitate quidquam obscuraretur. Quod autem Passovius, vir doctissimus et amicissimus, tria carmina XIV. XV. et XVI. haud dubie eodem fere tempore eodemque animi statu et affectu scripta esse dicit, l. l. p. 87.; id mihi parum videtur probabile. Etenim in XIV. carmine vix crediderim nonnisi militibus fortunam emendare cupientibus largam promitti in Aegypto messem; nam quum miles ibi in scenam prodierit, Aeschines, cfr. v. 55, qui iam stipendia facere velit in remota aliqua regione, fieri non potest, quin excitetur a sodali, ut, quum sit militaturus, sub auspiciis Ptolemaei militet. Cuius quidem regis laudes tanto studio praedicantur, ut manifesto Theocritus illo tempore populares ex infelici turbisque distracta patria in Aegyptum potius allexisse putandus sit, quam prohibuisse. Quod enim versu 64. inseritur, tantum abest, ut quidquam detrahat de laudibus, larga manu et antea et postea adspersis, ut moderetur liberalitatem Ptolemaei ad sapientiam, ideoque novum potius adiiciat virtutibus ornamentum, et prohibeat, quominus quivis erro sibi apud illum beatam sedem fore opinetur.

Itaque Theocritus hoc carmen aliquamdiu antequam rediret in patriam, immo antequam de parando reditu cogitaret, Alexandriae conscripsit.

Neque mirum cuiquam videri potest, Syracusanos frequentes elabi studuisse e turbulentissimis patriae rebus, ipsumque Theocritum non solum abiisse, sed excitasse adeo populares, ut in Aegyptum sese conferrent; si mecum iam breviter voluerit contemplari rerum Sicularum conditionem.

Agathocles enim, qui post variam fortunam praetor Syracusarum factus fuerat, imperium armis arreptum tyrannus obtinuit; quo quum civibus trucidatis aut in exilium eiectis intemperantius uteretur, veneno sublatus est, Olymp. 122. 4, a. Christ. 289. Hunc qui interfecerat Maenon, in tyrannide iuvantibus Carthaginiensibus successor, periit eiectus ab Hiceta, quem Thynion et Sosistratus oppugnarunt. Harum turbarum auctor Pyrrhus, Epiri rex, Agathoclis gener, ex Italia belloque contra Romanos advocatus, Carthaginiensibus quidem quae occupaverant eripuit, sed quum eius superbiam aspernatae civitates Siculae partim ad Carthaginienses partim ad Mamertinos defecissent, qui origine Campani, olim mercenarii Agathoclis milites, Messana urbe potiti erant, coactus est de Sicilia decedere. Olymp. 126. 1, a. Chr. 276.

Syracusis, ingenti et diuturna turba civili pene dilapsis, Hiero ab exercitu praetor factus et a civibus libenter receptus est, Olymp. 126. 2. a Chr. 275., atque post insignem hostium cladem, quum etiam Mylas, Alesam, Abacaeninos et Tyndaritas in suam potestatem redegisset, rex est creatus, circ. Olymp. 127. 2, a. Chr. 271.

Interea Mamertini a Carthaginiensibus destituti, Hieroni impares, Romanorum auxilium implorarunt; itaque Appius Claudius Caudex Cs. in Siciliam traiecit atque Carthaginienses et Hieronem Messanam obsidione prementes fugavit, Olymp. 129. 1, a. Chr.

264. Hiero sequente anno 263. Olymp. 129. 2. a Valerio Messala et Otacilio Crasso CSS. eo adactus ut metueret, ne Syracusae oppugnarentur, pacem cum Romanis fecit, factaque civitatem deinde feliciter et in summa pacis tranquillitate moderatus est.

Iam vero quum Syracusae dum iuventutem exigeret Theocritus non solum internis et civilibus turbis dilacerarentur, sed etiam externo hoste premerentur; intelligitur quibus de causis tum alii complures Syracusii urbem patriam reliquerint, tum ipse Theocritus alibi quaesiverit locum, quo et erudiri et otiose litteris artibusque posset vacare. Quod quum ei contigisset in insula Co per disciplinam Philetae Coi et Asclepiadis Samii, non ita multo post annum 284. Olymp. 124. 1. Alexandriam se contulisse videtur, quum qui eodem magistro Phileta usus fuerat Ptolemaeus Philadelphus hoc anno patri in regno successisset.

Quis est autem, qui tum res Siculas et Syracusarum miseram conditionem tum Ptolemaeorum fortunatum regnum contemplatus, dubitare possit amplius, quin Theocriti populares maximeque Syracusani illis temporibus e patriae infortunio elapsi in Aegypto potissimum peregrinari voluerint, quae sub auspiciis Ptolemaeorum et Soteris et Philadelphi ad summam felicitatem coepit efflorescere. Hinc intelligitur non solum, qui factum sit, ut Theocritus carmine XIV. et comprobare illam peregrinationem et invitare adeo ad eam potuerit; verum etiam, ut in hoc XV., quod pertractandum nobis sumsimus, Syracusanae mulieres Alexandriae habitantes in scenam prodeant.

Sed tamen non poterat illud XIV. conscribi, nisi eo tempore, quo nondum certum erat patriam Hieronis beneficio in feliciorem conditionem esse vindicatam: ergo antequam praetor is esset factus a. 275. aut certe antequam rex salutatus esset a civibus a. 270. E quibus illud dicas probabilius, quum non de Hierone demum ad regnum evecto, sed iam de praetore certa patriae salus posset exspectari, ideoque non esset amplius, cur et exirent Syracusii et evocarentur a Theocrito. Quodsi illud XIV. aliquot annis ante a. 270. scriptum est, patet etiam hoc XV., quod a Theocrito quo consilio et animo, postquam Alexandria reversus esset, in patria urbe compositum fuerit, paullo ante docere studui, aliquot annorum spatio ab illo esse seiunctum.

Videtur autem ipse Theocritus sive quod omnino vivendi modum in illo splendore usitatum a se intelligeret esse alienum, sive quod Philadelphi mores et ingenium non tale expertus esset, quale futurum speraverat, sive patriae desiderio motus, eo tempore, quo iam certissima affulgeret spes felicitatis per Hieronem Syracusis proxime recuperandae, rediisse in patriam ex Aegypto, neque ita multo post, quum et recenti memoria teneret illa Aegyptiorum oblectamenta, et illud, quod antea de consilio disserui, e tempore videretur, hoc carmen XV. emisisse.

Neque vero crediderim cum amicissimo Passovio, Theocritum post pacem demum cum Romanis a. 263. initam carmine XVI. celebrandum sibi sumsisse Hieronem; nihil enim versui 76 et sqq. nihil v. 106. inest, quod ad hanc opinionem possit permovere. Immo vero postquam pacem cum Romanis Hiero composuerat, regno in summa tranquillitate perfruebatur, adeo, ut, quae vv. 76 sqq. leguntur, illo tempore non amplius haberent locum. Omnia potius ad id tempus nos deducunt, quo primum Hiero docuit Syracusanos fortiter pugnare contra Poenos et Mamertinos. Quae quum ita sint, eo fere tempore Theocritum illud carmen XVI. edidisse putem, quo Hiero a civibus, qui non solum spiritum reciperent e summis angustiis turbisque civilibus, sed etiam hostes victos pluresque urbes subactas admirabundi viderent, rex modo esset salutatus; aut certe proxime antequam ille ad regnum eveheretur a. 271. aut 270. His conveniunt, quae v. 78. legimus ἤδη βαστάζουσι Συρακόσιοι μέσα δοῦρα, quod antea vix poterat sperari; adde vv. 79. 80. 85. 88-90.

Itaque Theocritus carmen XIV. aliquamdiu ante annum 275. a. Chr. fecit; deinde rediit ex Aegypto, ubi per aliquot annos, fortassis ab a. 280. ad a. 275. exeuntem, fuerat commoratus; XVI. autem carmen a. 271. aut 270. edidisse, et c. XV. aut paullo ante XVI. aut non ita multo post composuisse putandus est. Enimvero recte quidem quamquam graviter ridet Passovius opinionem eius, qui c. XVI. Theocriti esse negarit, et ridendos sane dicas omnino, qui hucusque de dubia origine quorundam carminum Theocriti

verba fecerint. Magnopere enim vereor, ut qui ex argumento horum carminum iudicari posse censeant, utrum vere Theocriti sint an alius poëtae, recta utantur ratione; quam quidem primum protulit vir doctus in Indice litterario Gottingensi a. 1789. n. 128, deinde tractarunt Eichstaedtius in adumbratione quaestionis etc. 1793. 4., et Reinholdus in dissertatione de genuinis Theocr. carm. et spuriis. Ien. 1819. 8. Quid quod non defuerit, qui propterea, quod nonnisi ad XVIII. idyllia grammaticorum sedulae manus scholia adleverint, cetera, quotquot sint, spuria, ista autem sola Theocriti esse opinaretur. Scilicet haud dubie eae tantum Euripidis tragoediae fide sunt dignae, quibus scholiorum onus appictum est. Egregium profecto et argumentum et munimentum in scholiis positum, quasi cervis et vallo cingentibus miserum poëtam adversus irruentem criticorum turbam quomodo se defendat nescientem.

Verum haec saeculi potius quam criticorum vitio accidisse videntur. Tantum enim abest, ut post tanta summorum virorum et exempla et monumenta ars critica prudenter et caute nec nisi a peritis hodie exerceatur, ut saepenumero in libellis, qui criticorum prae se ferant et speciem et nomen, summa imis mixta deprehendas. Ita in iis, quae nuper de Homeri carminibus conscripta sunt, sic disputatur sive disseritur potius, ac si nemo quisquam mortalium simile quidquam unquam ore protulerit suo, ut tum novissime putes inventa, quae iam ab antiquioribus et a priscis adeo grammaticis, scilicet neque lectis neque intellectis, manifesto sunt monita, tum quae iam pridem improbata et explosa sunt, nondum dicta nedum refutata habeantur. In quibus pene nescias, utrum eorum potius mireris et levitatem et temeritatem et ignorantiam, qui, dum domi sibi plaudunt, 'perituris parcere chartis' stultum esse opinati, leves eiusmodi hariolationes de rebus gravissimis proferant, an eorum, qui ferant, immo laudent.

At mittenda sunt ista nobis et silentio potius praetereunda, donec quidquam prodierit maiore elaboratum cura et litterarum rerumque antiquarum cognitione exornatum. Istis enim nimis multa desunt, quam ut accedant ad dignitatem sententiae placitive, quod

accuratiore contemplatione aut iusta refutatione dignum possit videri.

Sed tamen ad carmen XV. revertamur; restat enim, ut de ratione dicam, qua mulieres prodeant. Prodeunt autem in medium duae mulieres genere Syracusiae, loco etsi non plane plebeiae et vilissimae, ut vulgo sumunt, tamen ignobiles neque honestissimae conditionis, altera Gorgo Dioclidis, altera Proxinoë sive Dinonis sive Diconis (vid. ad v. 11.) uxor. Mariti cum iis migraverant Syracusis Alexandriam, ibique domicilium posuerant. Proxinoës autem maritus, gravem sibi fore viciniam opinatus, remotum a Dioclidis domo aedificium emerat. At si illas Syracusanas Alexandriae demum familiaritatem contraxisse putes, sumas necesse est, primum maritos habitasse vicinos, ut uxores saepe possent convenire et confabulari; postea vero Praxinoës maritum huius viciniae molestia permotum in alium quempiam urbis vicum a Dioclidis aedibus ingenti disiunctum spatio, minore autem a Ptolemaei palatio distantem (cfr. v. 44.) recessisse.

Iam quum festus Adonidi agatur dies, Gorgo, ut spectet pompas et ornatum in palatio Ptolemaei expositum mane exit, comitante Eutychide serva, quam Gorgonis esse Scholiastes ad v. 67. iam recte suspicatur. In via audit plurima de splendore, quo Ptolemaeus et Arsinoë Adonidem celebrent, quaedam fortassis etiam adspicit aut e longinquo aut in transcursu. Sed quum aut nequeat intrare in palatium propter turbam hominum, aut nolit sola huic solemnitati interesse, ad Praxinoën abit, praesertim quum iam longe a suo, propius autem, uti e v. 44. sqq. intelligitur, ab huius domicilio absit, ut amicam, quam per longum tempus neque viderat neque convenerat, in societatem vocet et viae et voluptatis e spectaculo capiendae, et garrulitatis sine qua eiusmodi mulierculis nulla potest esse oblectatio.

Non igitur, quod solet sumi, diu exspectata tandem accedit Gorgo, sed ex inopinato adest; alioqui Praxinoën iam deprehenderet comtam, ornatam, paratam, exspectantem, fortassis irascentem adeo. Nunc subito superveniens iniicit mentionem sacrorum hodie celebrandorum et amicam neglecto cultu atque domestico

deprehensam excitat, ut secum abeat. Haec igitur nunc demum vestes poscit, iniectisque illam comitans exit. Ceterum mane ista omnia fieri elucet e v. 147.

In ipso autem carminis exordio verissime iam monuit Valckenarius, verba: Γοργοῖ φίλα! ὡς χρόνῳ! ἔνδοῖ! non Eunoae, uti fiat in codicibus et editt. antiq., sed Praxinoae esse tribuenda, ut Eunoë κωφὸν sit πρόςωπον et muta maneat hic uti infra vv. 27. 54. 67. 68. 76., et Eutychis ac Phrygia vv. 42. 67. et Theystlis in secundo carmine. Errores in describendis personis commissi adeo frequentes deprehenduntur in codicibus et editt. antiq., ipsa autem haec descriptio, quam ponit Valckenarius, adeo est elegans, ut quomodo alii ut Reiskius, Dahlius, Io. Henr. et Henr. Vossii veterem illam retinere potuerint non perspicias. Accedit ad illa argumenta, quod Gorgonem ab ancilla amicae φίλαν appellari vix est probabile, minus etiam conveniunt ancillae verba: ὡς χρόνῳ, quae contra aptissime dicuntur a domina amica; denique ipso versu 3. verba: ἔχει κάλλιστα non minus absurdo modo Eunoae in codicibus tribuuntur, quae nonnisi a Gorgone dici potuisse quivis sentit.

Itaque personarum haec est ratio:

ΓΟΡΓΩ, Συρακουσία, γυνὴ Διοκλείδου, Συρακουσίου καὶ αὐτοῦ.
ΠΡΑΞΙΝΟΗ, γυνὴ Δίκωνος ἢ Δείνωνος Συρακουσίου, Συρακουσία καὶ αὐτή.
ΓΡΑΥΣ, Ἰωνίς. (v. 60–62.)
ΞΕΝΟΣ, Δώριος. (v. 71–75.)
ἝΤΕΡΟΣ ΞΕΝΟΣ, Ἰώνιος. (cfr. ad v. 87.)
ΓΥΝΗ ἈΟΙΔΟΣ, Δωρίς. (v. 100–144.)

Κωφὰ πρόσωπα.

Εὐνόη, Φρυγία, } θεράπαιναι Πραξινόης.
Εὐτυχίς, Γοργοῦς θεράπαινα.
Ζωπυρίων, παιδίον, υἱὸς τῆς Πραξινόης.

Iam quidem in scenam prodit Gorgo fessa e via admodum longa, quum valde dissitae essent aedes harum amicarum, et molesta per impedientem confluentium hominum turbam. Putanda est iam

intrasse in aulam Praxinoës per ianuam, quae ex aula in publicum eduxit (αἱ αὔλειοι, ἡ αὔλειος sive αὐλεία), neque solebat clausa esse nisi singulari de causa. Nunc autem Gorgo prope adstat in aula ad eam ianuam, quae in ipsum ducit Praxinoës domicilium. Anhelans adhuc ex itinere necdum recepto spiritu conspectam Eunoën, amicae servam forte non procul inde commorantem, interrogat priusquam in cubiculum Praxinoës ingreditur:

ἔνδοῖ Πραξινόα;

Interrogantem intus exaudit Praxinoë et prae gaudio, quod amica adest diu non visa, cuius vocem agnoverat, non exspectans donec ancilla responderit aut aperuerit, reponit ἐξ οἴκου ὑπακούσασα·

Γοργοῖ φίλα! ὡς χρόνῳ! ἔνδοῖ!

id est: intus est ipsa, quam quaeris; neque vero, ut Reiskius explicat, ἔνδοῖ ἔρχου introëas; neque εἰμί, sed ἐστίν, ut bene Eichstaedtius vidit, alioqui vigor loci perit.

Aperitur ianua, intrant Gorgo cum Eutychide serva et Eunoë pone sequens; introëuntem amicam Praxinoë excipit his verbis: Θαῦμ' ὅτι καὶ νῦν ἦνθες.

Non male quidem Wartonus, probantibus Valckenario, Brunckio et Finkensteinio, e coniectura scripsit ἦνθον, ut Gorgo his verbis respondeat ad illud Praxinoës ὡς χρόνῳ, deinde vero ὅρη et quae sequuntur Praxinoae tribuantur; sed tamen codicum lectio servari potest, ex qua sumamus haec Praxinoën dicere, garrulam linguaeque mobilitate insignem. Gorgonem enim conticuisse adhuc vel propter longam et molestam viam probabile videtur, ita ut prima verba, duo quidem tantum, anhelans dixerit. Neque plura sane proxime eloquitur: ἔχει κάλλιστα: postea vero sedens et iam recipiens spiritum: ὦ τᾶς ἀδαμάτω ψυχᾶς et quae sequuntur, edisserit. Illud autem καὶ νῦν non ita posse accipi, ac si post moram et serius accesserit hodie Gorgo, quam expectaverit Praxinoë, ut Valckenarius p. 336. vehementer quidem sed falso indignatus opinatur, iam supra comprobavimus. Ex inopinato illa adest, et tam diu quidem non convenerat Praxinoën, ut haec miretur vel nunc illam advenire. Eundem sensum verbis ὡς χρόνῳ inesse nexus docet, quae neque cum aliis 'quam sero' reddiderim, neque cum Valckenario crediderim parum

referre, utrum ὡς χρόνω scribantur an ὡς χρόνῳ. Quum enim significetur ὡς ἐπὶ πολλῷ χρόνῳ et idem, quod intranti sodali, quem diu non viderat in XIV. c. v. 2. Aeschines acclamat: ὡς χρόνιος! quod in argumento graeco recte explicatur ὡς διὰ χρόνου: dicendum erat aut ὡς πολλοῦ sive μακροῦ χρόνου aut ὡς διὰ χρόνου, neque vero ὡς χρόνου, ideoque legendum est ὡς χρόνῳ. Nam χρόνῳ quod tandem significare dicitur, nonnisi eo hunc sensum habet, quod vere denotat tempore eodemque multo interiecto, sive longo post tempore, unde fit illa notio: tandem aliquando, ut Xenoph. H. Gr. IV. 1. 15. χρόνῳ ποτέ, cfr. locos a Valckenar. ad Euripid. Phoen. 302. 313. a Berglero ad Aristoph. Nub. 66., et a Schaefero ad Lamb. Bos. p. 402. sq. notatos. Hoc igitur dicit Praxinoë: O bona, quam longo post tempore ades! ut interrogandi signum in exclamandi notam mutari debeat. Pergit: Mirum te vel nunc advenire! adeo longum est tempus, ex quo me non convenisti. Addit: En illi sellam Eunoë! neque vero: vide; ut id sit: age hoc; sive cura.

Reliqua verba ἔμβαλε καὶ ποτίκρανον non intelligam de stragulis sellae iniectis, sed illud ita ab his diversum putem, ut haec στρώματα in sella ipsa expansa et explicata esse sumam subiecta corpori, illud autem, quod προςκεφάλαιον a Polluce e Phrynicho tragico commemoratur, cervical sellae impositum et a tergo sedentis, cervici quidem inclinandae, collocatum credam.

Gorgo ad haec respondet: ἔχει κάλλιστα, ulterius officium declinans, non tam ut bene et satis molliter, quam ut statim sedere possit curans, utpote fessa ideoque bene esse rata, modo ut requiescat. Ceterum de hoc sensu formularum καλῶς, πάνυ καλῶς, κάλλιστα ἔχει cfr. interpr. ad Aristophan. Ran. 311. 515. 916., Valckenar. ad Euripid. Phoeniss., p. 252. Casaub ad Diog. Laërt. II. 76. καλῶς ἔχει opportunum est cfr. Perizon. ad Aelian. Var. Hist. II. c. 4.

Praxinoës Καθίζευ nolim mutare in καθίσδευ, nam in his certe non ut constanter Doricas formas reponamus, sed ut constanter, quae sonum habeant et proferri potuerint ab ore graeco reputemus curandum est. Nunquam enim adducar, ut in quibus litterae σδ nimis vicinum haberent θ, Theocritum illas pro ζ posuisse credam; scri-

psit igitur ἐρέθιζει quoque, neque vero ἐρέθισδει, et μοχθίζοντες neque μοχθίσδοντες.

At Gorgo iam recepto spiritu: ὦ τᾶς ἀδαμάτω ψυχᾶς exclamat, admirata quidem, se non succubuisse tot molestiis et laboribus viae tum longae tum hodie quidem periculosae. Quam autem in his verbis posui lectionem ἀδαμάτω, eam veram esse facili negotio potest demonstrari. Nam ceterae aut numeris adversantur, aut verba non graeca exhibent, aut a sensu destituuntur, ut quae vulgaris dicitur ἀδεμάτω, quae neque extra corpus (δέμας) neque extra metum (δεῖμα) quemquam esse denotare potest, sed ipsa extra graeci sermonis rationem iudicari debet, ut iam Toupius recte declaravit. Illam autem lectionem ἀδαμάτω non solum e scholiis, quae Casaubono p. 271. MSS. antiqua dicuntur, et glossis cdd. Laurent. coniicias olim adfuisse, in quibus legitur interpretatio: ἤγουν τῆς ἐπιπόνου, verum etiam e quatuor codicibus nunc enotatam vides, in quibus duo sunt, quos praestantissimos iudico, a Gaisfordo litteris A. et K. insigniti. Eandem habere putandus est codex P. in quo ἀδαμάτου legitur. Sensum vero huius loci Casaubonus, quem ego quoque non ex infimis Theocriti interpretibus esse censeo, rectissime explicuit.

Inter impedimenta autem et pericula viae Gorgo hoc quoque refert, quod παντᾷ κρηπῖδες fuerint, eo sensu quo inter nostrates ante hos viginti fere annos aliqua dicere potuisset: *überall Kamaschen*; quem quidem sensum ἀσπίδι quoque et λόγχῃ militem significantibus subesse Schaeferus ad Longum p. 373. monuit, laudans Marklandum ad Euripid. Iphig. Aul. 189, Wyttenb. in Bibl. crit. Amst. III. P. II. p. 32. De ἀσπίδι addas Villoison. ad Long. p. 156., Moll. ad Long. III. 1. Boissonad. ad Philostr. Her. p. 447. Lucian. Navig. 29. T. III. p. 267. R. ἄρχειν τοσαύτης ἀσπίδος, Heliodor. Aeth. II. c. 24. ἀσπίδι πολλῇ. Eodem sensu, quo hic κρηπῖδας legimus, caliga a Romanis ponitur, ap. Iuvenal. Sat. XVI. 24.

> Quum duo crura habeas, offendere tot caligas, tot
> Millia clavorum.

ubi male alii codices, in quibus et duo, quos ipse possideo, caligatos exhibent, et ap. Senecam de brevit. vit. 17. 'Marium caliga dimi-

sit', cfr. de benefic. V. 16, et pannos pro pannosis legimus apud Petron. Sat. c. 83.

Quod autem *χλαμυδηφόροι ἄνδρες* dicuntur ceteri, neque cum Wartono de tunicatis, neque cum Boettigero, viro praestantissimo, ad Terent. Eunuch. in Specim. p. 52. explicem ita, ut ii 'simpliciter sint *ξένοι* mercenarii milites Ptolemaeo Philadelpho auctoritati', sed non sine Macedonum equitum respectu factum existimem, quum haud dubie ex Alexandri exercitu ad Ptolemaei Soteris equites hic vestitus Macedonicus transiisset. Cfr. Hemsterhus. ad Poll. X. §. 124, et Kuper. in Apotheos. Homer. Equites autem hic intelligi iam ex opposita *κρηπῖδι* apparet.

Pergit Gorgo: *ἁ δ' ὁδὸς ἄτρυτος*, quae male tentavit Briggsius *ἃ δ' (ἡ ψυχὴ) ὁδῷ ἄτρυτος* scribens. Quum enim *τρύω* denotet tero, *τείρω*, contero, ut Herodot. I. 22. *τὸν λεὼν τετρύσθαι ἐς τὸ ἔσχατον κακοῦ*, homines *ἄτρυτοι* dicuntur, qui labore conteri sive confici nequeunt, uti Eustathius rectissime ad Od. *δ*. p. 197, 45. Bas. explicat *ὃν πόνοι οὐ τείρουσιν*, ergo laboriosi, indefessi; *πόνοι* autem et alia *ἄτρυτα* dicuntur, quae confici, hoc est consumi et ad finem perduci non possunt, ut, quem locis a Valckenario laudatis addas, Appian. Civ. II. 124. Igitur *ὁδὸς ἄτρυτος* ea est, quae confici non potest et finem habet nullum.

Reliqua verba haud dubie scribenda sunt e coniectura Valckenarii:

τὺ δ' ἑκαστέρω ἄμμιν ἀποικεῖς.

Vulgaris enim lectio *ἑκαστοτέρω* nullo modo potest probari quum ad vocem *ἕκαστος* potius quam ad *ἕκας* sit referenda. Non defuerunt quidem, qui, ut Kiefslingius, licentiam, quae in aliis comparativorum formis animadvertatur, huic vindicari posse censerent; ut hanc vulgus usurpaverit, usuque vitae ea alienam receperit indolem. Ferrem hoc immo probarem, si de forma ageretur ore hominum vulgarium decurtata. At vero, quum eiusmodi formae non amplificatae et productae ac dilatatae, sed accisae potius et quasi detritae sint usu, et debuerint adeo esse; illo argumento forma *ἑκαστοτέρω* pro hac breviore *ἑκαστέρω* dicta non potest excusari. Error est librariorum, qualis innumeris in locis et in ipso hoc carmine con-

spicitur, in cuius versu 94. codicis P. scriba brevi voce *κάρτερος* quasi non contentus productiorem *καρτερώτερος* conformavit. No quid supersit dubitationis, plane uti coniecerat summus Valckenarius *ἑκαστέρω* distincte scriptum est in codice K., qui omnium est praestantissimus.

Quodsi certum est *ἑκαστέρω* legi debere, minus iam erit incertum, pro vulgari codicum lectione *ἔμ'*, quam corruptam esse iam plerique confessi sunt, aut *μεῦ* aut *μοι* eius loco refingentes, recipiendam esse Valckenarii coniecturam *ἄμμιν*. Hanc lectionem glossa *ἐμοῦ* aut *ἐμοὶ* extrusit, quae propter numeros deinde abiit in formam *ἔμ'*, ac fortassis illa, aut in aliquo codice iam collato inest, quod haud notatum esse ab editoribus non mireris, si cognoveris summam illorum maximeque Wartoni negligentiam, aut in copiis nondum evulgatis reperietur, quales sunt quas a Weigelio coëmtas proxime Schaeferus meus in lucem emittet. Ceterum illum comparativum denotare: sic satis et iusto nimis, vix est quod moneam.

Qui sequuntur versus, ita se habent:

Ταῦθ' ὁ πάραρος τῆνος ἐπ' ἔσχατα γᾶς ἔλαβ' ἐνθών,
Ἰλεόν, οὐκ οἴκησιν, ὅπως μὴ γείτονες ὦμες
Ἀλλάλαις ποτ' ἔριν, φθονερὸν κακόν, αἰὲν ὅμοιος.

Pervertunt hunc locum, qui *ταῦτα* 'propterea' vertunt, et *διὰ ταῦτα* significari opinantur, ut XIV. 3, et in aliis locis; atque ab omnibus, quod sciam, id esse factum, et miror et profecto doleo. Haud facile excuses ita, ut dicas, illa: *τὺ δ' ἑκαστέρω ἄμμιν ἀποικεῖς*, aut haec: *ὅπως μὴ γείτονες ὦμες* respici posse; nam si ita esset, pronomen demonstrativum ad *ἰλεὸν* apponendum fuisset. Nihil enim causae antecedit, nihil etiam sequitur, cur maritus tale quidem et tam miserum domicilium, quod ab uxore morosa et irata *ἰλεὸς* dicitur, aut emerit aut conduxerit; poterat enim ille, ut, quod vellet, efficeret, vel ornatissimum palatium emere, modo remotum esset. Quis igitur sensus esset, si illa dixisset: *Propterea* ille speluncam emit, non domum, ne vicinae simus. Immo quemadmodum neutrum genus saepissime antecedit, quando nondum certo definitur, quid rei sit, etsi ipsa res postea, quum significatur, alio genere sequatur posita; ita hoc in loco Praxinoë nondum certo denotans quid

rei sit, ταῦτα inquit: Istud asinus ille emit, ἰλεὸν potius, neque vero οἴκησιν. Ἔλαβ' ἐνθαίν *emit* vid. v. 20. et Valckenar.

At vero qui factum sit, ut verba ἐπ' ἔσχατα γᾶς ἔλαβ' ἐνθών non cum H. Stephano, Reiskio et Toupio aliisque de extrema parte urbis, sed de Aegypto, Syracusanis remota terrae regione, cum Valckenario vel a recentissimis Theocriti interpretibus intelligantur, non perspicio. Significari putant illis, aegre ferri a Praxinoë, quod maritus relicta Sicilia migraverit in Aegyptum et domicilium Syracusis Alexandriam transtulerit, ac si dicat: Atqui ille asinus e Sicilia huc, in Aegyptum, prope fines terrae habitabilis se contulit. At vero de hac quidem peregrinatione ne cogitare quidem potuit uxor, nedum propter eam irasci; nam non solum iam pridem Alexandriae peregrinabatur cum marito, verum etiam cum Gorgone eiusque marito, ut ab hac igitur profecto non eo esset seiuncta, quod ipsa abiisset Alexandriam. Atque hoc profecto dolet, illum ἐπ' ἔσχατα γᾶς recessum propterea a marito esse factum, quod invidus iste vellet, ὅπως μὴ γείτονες essent ipsae. Ergo non solum probabile est ista non dici de Aegypto, sed ne potest quidem aliter intelligi, quam de remoto quodam vico ipsius urbis Alexandriae, quem uxor morosa marito succensens in extremo terrae angulo situm dicit, verbis rem pro atrocitate exaggerans:

'*Dieſs hier nahm der Esel am Ende der Welt, — ein Loch, kein Haus.*'

Annectit illis haec: ποτ' ἔριν, ut solent scribere, φθονερὸν κακὸν αἰὲν ἐμοῖο aut ἐμεῖο, aut ἐμείως, quae est Valckenarii emendatio vulgaris formae; explicant autem: aegre mihi faciens invidum semper scelus.

Sane ineptam esse Reiskii coniecturam: ποτ' ἔραν, quae vertit: in humum! id est, ut ait, pereat ille! non est quod doceamus; illud autem ποτ' ἔριν ἐμείως significare posse: in invidiam, quemadmodum ex opposito dicatur πρὸς χάριν in gratiam, comprobari nequit. Nam Corinna apud Apollonium de pronom. p. 325. s. p. 65. Bekk. illud Πινδαρίοιο ποτ' ἔριν non dixit hoc sensu: in invidiam Pindari, sed dixit ἔβα ποτ' ἔριν Πινδαρίοιο: at hoc est: in aemulationem eius, in contentionem cum eo. Scilicet haec differunt, opinor. Atque

βῆναι πρὸς ἔριν τινὸς idem denotat, quod ἐρίζειν πρός τινα Theocrit. I. 24, V. 23. 106. aut ἐρίζειν τινι, et ἔρχεσθαι εἰς ἔριν τινὸς ut Lucianus Tragopodagr. v. 317 dixit

Μαιονία (η) δ' Ἀράχνη Τριτωνίδος ἦλθεν ἐς ἔριν.

et Euripides Iphigen. Aulid. v. 308 (319)

σὺ δὲ τί τῷδ' ἐς ἔριν ἀφῖξαι;

Ut in his ἔρις cum genitivo eius iungitur, quocum de aliqua re contendimus, ita in aliis locis additur genitivus rei de qua contenditur, ut Od. θ' 210 ἔριδα ἀέθλων, εἰς ἔριν μελῳδίας Rhes. 923. χρυσέας ἔρις ἀρνὸς Eur. Orest. 812.

At ubique ἔρις significat contentionem, et εἰς ἔριν, πρὸς ἔριν τινὸς ἐλθεῖν contendere cum aliquo, neque vero, quod hoc loco volunt, alicui aliquid in invidiam facere aut ingrati quidquam et invisi, ut εἰς χάριν gratum acceptumque.

Praeterea autem non solum permulti codices, undecim quidem apud Gaisfordum, ὁμοῖος exhibent, unus ὁμοίως, sic scriptum, verum etiam optimi iidem; neque aliter edidit Iunta.

Hoc uti debemus recipientes habemus hominem πρὸς ἔριν cum uxore αἰὲν ὅμοιον. Igitur Praxinoë talia fere dicit: equidem quam maxime volui; at ille, invidiosum scelus! in contendendo et adversando sibi semper aequalis maximeque constans, tamen fecit. Κακὸν iste bonus dicitur eodem modo, quo illud legitur ap. Eurip. Cyclo. v. 623. cfr. Markland. ad Suppl. v. 435, et quod usitatius ponitur μῖσος aut μίσημα Eurip. Med. 1323. cfr. Elmsl. ad v. 1290, Valckenar. ad Hippolyt. p. 406. In v. 1331 Medeae, potius sumam σὲ οὖσαν κακὸν μέγα, quam σέ, ὦ κακὸν μέγα; eodem modo quo Lucian. Dial. Deor. 12. T. I. p. 234. Illud autem μίσημα, Praxinoae φθονερὸν dicitur quasi inviderit uxori felicitatem e vicinia et consuetudine amicae capiendam.

Sequuntur v. 11 — 15; sed ut universa huius loci ratio facilius perspiciatur, dicam antea de verbis singulis, e quibus illud λέγειν sive εἰπεῖν τινά τι de aliquo dicere quidquam, satis et notum est et ab aliis illustratum, minus autem certum, utrum legendum sit in extremo hoc versu φίλα τοιαῦτα Διώνα, an φίλα, Δείνωνα, τοιαῦτα ut nunc scribi solet, an aliter.

Qui de Diona, Veneris, ut fama erat, matre, cogitant, Praxinoën opinantur a blandiente amica ita appellari eo sensu, quo aut pulcherrima aut Venus dici ea potuisset. Cuius quidem rei neque causa intelligi potest ulla, neque usus unquam comprobari. Rectissime statuunt, qui eius viri nomen illi voci inesse putant, qui Praxinoës esset maritus. Offendit quidem Eichstädtium id esse adiectum, ac parum commode id inculcari dicit. 'Num enim verendum erat,' inquit, 'ne non quid sibi vellet, intelligeret Praxinoë, si tantum τὸν τεὸν ἄνδρα dixisset? Annon potius insipidum erat, hoc loco diserte patris nomen pronuntiare, ubi ipsa ne puerulus probris a matre in patrem coniectis offenderetur cavere vellet? Itaque aut ab ipso poëta hic peccatum esse, aut in Δίνωνα vitium librarii latere statuendum. Fortasse substantivum aut adiectivum aliquod h. l. scripserat Theocritus, quod *convitia* aut *probra* notaret.'

Minime vero. Debuit poëta illius viri nomen ponere, non solum ut lectores id comperiant, verum etiam quia ingenio et rationi mulieris optime convenire sensit, si nomina non reticeantur; neque ipsa Gorgo v. 18. Dioclidis nomen reticet. Num hoc quoque mutetur? Non igitur incertum est, nomen viri adesse, sed hoc tantum, quale sit et quo loco ponendum. Ac Δείνωνα quidem Toupii est coniectura, codices autem Δίνωνα aut Δίωνα exhibent, duo Δίκωνα, unus K. Δίχωνα Quum autem hic optimus sit et forma Δίχωνα proxime accedat ad illam Δίκωνα, a qua quam parum absit illa Δίνωνα apparet; hoc autem nomen Δίκων non solum in epigrammate ἀδεσπ. 120 T. III. p. 174. Brunck. Anthol. gr. Palat. ed Iacobs. T. II. p. 537. n. 15. verum etiam in Callimachi, aequalis poëtae, epigr. X. legatur: non pugnem, si donec aliter iusserint codices putes legendum esse: τοιαῦτα Δίκωνα.

In sequentibus verbum γύναι non increpantis est, sed eo fere sensu est positum, quo illa potuisset φίλην dicere: vide amica. Nam γυνὴ non solum de honestissimis, verum etiam de carissimis interdum dicitur. Cfr. Il. γ'. 204, Od. π'. 334, τ'. 221, Sophocl. Elect. 1106, Dio. Cass. LI. c. 12, LV. c. 14. et 15, cfr. Palairet. Observ. s. p. 224. Fischer. ad Anacreont. 20, 11. ut adeo addendo φίλα, quod apud Theocrit. 3. 50. adiicitur, non fuerit opus. Neque aliter intelli-

genda est haec vox in Evangel. Ioann. XIX. v. 26 et II. v. 4. At hic quidem locus: καὶ ὑστερήσαντος οἴνου λέγει ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ πρὸς αὐτόν· Οἶνον οὐκ ἔχουσι. Λέγει αὐτῇ ὁ Ἰησοῦς· Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ γύναι; οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου., non potest recte intelligi nisi ita, ut Iesus matri dicat: Quid mea hoc refert et tua, o carissima? *Was geht dieſs uns beyde an, Liebe?* sive *Theuerste.* Ita leniter quidem monet, non opportune a matre nunc se excitari per iniectam eius rei mentionem; eidem vero, ne dubia sit, statim innuit, non defuturum se esse, si iustum advenerit et opportunum tempus. Ceterum de formula τί ἐμοί etc. cfr. quae habet Kieſsling. ad h. c. v. 89. add. Valcken. ad Eurip. Hippolyt. v. 224. At recedendum est a sanctis illis sermonibus ad leves hosce Syracusanos. Ibi quidem v. 13. Praxinoae et v. 14. Gorgoni tribuuntur. At duo codices, quorum unus est praestantissimus ille K., v. 13. exhibent οὐ λέγει ἀπφύν pro vulgari οὐ λέγω, et rectissime quidem. Nam si v. 14:

αἰσθάνεται τὸ βρέφος, καὶ τὰν ποτνίαν· καλὸς ἀπφύς.

Gorgoni tribuitur, quod hucusque factum est, vereor ne maximas habeamus ineptias; quum ipsa illud versu 11 sq. significasset, amicamque hortata esset, ne coram filiolo talia diceret. At si hic versus αἰσθάνεται τὸ βρέφος, 'quod nunquam credidissem', matri, praecedens autem Gorgoni adscribitur; optime sese habent omnia. Neminem enim opinor offendet τέκος a Gorgone dictum Zopyrioni, nam exempla in quibus τέκος vel τέκνον quempiam appellent homines graeci licet non sint eius parentes, longum est enumerare.

Universa igitur loci ratio ita conformetur:

Praxinoë (irata)

[Haec audiens Zopyrio, Praxinoës filiolus, matrem tristi vultu intuetur.]

Ταῦθ' ὁ πάραρος τῆνος ἐπ' ἔσχατα γᾶς ἔλαβ' ἐνθών,
Ἰλεόν, οὐκ οἴκησιν, ὅπως μὴ γείτονες ὦμες
Ἀλλάλαις· ποτ' ἔριν, φθονερὸν κακόν, αἰὲν ὅμοιος.

Gorgo [Zopyrionis vultum conspicata, ad Praxinoën submissa voce]

Μὴ λέγε τὸν τεὸν ἄνδρα, φίλα, τοιαῦτα, Δίκωνα,
Τῶ μικκῶ παρεόντος· ὅρη, γύναι, ὡς ποθορῇ τυ.

[ad Zopyrionem, alta voce]

Θάρσει Ζωπυρίων, γλυκερὸν τέκος· οὐ λέγει ἀπφύν.

Praxinoë [postquam monente amica filioli vultum adspexerat, ad Gorgonem submissa voce]

14 *Αἰσθάνεται τὸ βρέφος, καὶ τὰν ποτνίαν.*

[ad Zopyrionem alta voce] *καλὸς ἀπφύς.*

[ad Gorgonem, vultu sensum latentem indicans]

15 *Ἀπφὺς μὰν τῆνος πρώαν* – [subridens] *λέγομες*

δὲ πρώαν θὴν

16 *Πάντα – νίτρον κτλ.* [sequentia quidem sensim irascens eloquitur.]

Rectissime Valckenarius particulam *μὰν*, cuius locum occupaverat *μὲν*, e duobus codicibus restituit, quam nunc praestantissimi tuentur. Vellem etiam constitisset sibi in sequentibus neque docuisset exemplo suo *τὰς δευτέρας φροντίδας* non semper esse *τὰς σοφωτέρας*. Quidquid enim dixerint de hoc loco interpretes, quorum alii inter 16um et 17um aliquid excidisse opinantur, alii coniecturis lacessiverunt; nihil eo est sanius. Consentiunt quidem codices praestantiores et editt. antiquae in ea quam posui lectione, nisi quod in quibusdam cdd. librarii, qui posteriore *πρώαν* correpto offensi ideoque *πρόαν* scribentes prius quoque *πρώαν*, ut sibi constarent, in *πρόαν* mutaverant, ut numeri convenirent *τὰ πρόαν* formarunt, et in editione Iuntina ab operis peccatum est ita: *πρώαν) λέγωμες πρώαν θὴν πάντα(.* In voce autem *πρώαν* correpta non haerendum esse Id. IV. 16. et V. 4. docent, et quod in eodem versu modo productum modo correptum est excusabunt Id. VI. 19.

τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται

VIII. 19,

καρὸν ἔχοισαν, ἶσον κάτω, ἶσον ἄνωθεν.

Atque sensus hanc codicum lectionem omnibus virorum doctorum coniecturis iisque sine iusta causa prolatis longe elegantiorem esse comprobat. Non male in glossa cod. Laurent. ita explicatur: *πρώαν, τοῦτο δ' εἰώθαμεν λέγειν ἐπὶ πάντων τῶν πρὸ ὀλίγου πεπραγμένων*: habet se enim hoc ita ac si dicas *σήμερον, οὕτω γὰρ πάντα καλοῦμεν* aut *χθὲς καὶ πρώην, οὕτω γὰρ πάντα λέγομεν.*

Quum enim animadverterit Praxinoë sensisse puerulum, contra quam ipsa crediderat; dissimulat de marito suo agi ideoque delinit filiolum verbis: *καλὸς ἀπφύς· At noster quidem papa bonus est, mi fili!* Iam vero de eodem enarratura amicae, atque, si minus splendidissimum, at recentissimum certe stultitiae specimen, quod iste longurio exhibuerat, prolatura, simulat filioli causa de alio quopiam alius pueruli papa se loqui, ideoque: *Ille sane quidem papa*, inquit, *de quo agimus*, (neque vero noster) *nuper*, — *ac nuperum omne quidem dicimus*, — ita egit. At ita sane haec dicit, ut, quem velit, amicae iam sponte intelligenti, nutu, vultu, oculis vocisque modo perspicuum fiat, et illa verba: *λέγομες δὲ πρώαν θὴν πάντα* subridens addit, non tam eo consilio, ut vera rei ratio filiolum lateat, quod iam cautum est illis: *ἀπφὺς μὰν τῆνος* (*minime vero noster*), quam ut leniter quasi perstringat et iocando notet se ipsam, quae *πρώην* iusto latius patente sensu dixerit. Haud dubie illorum loco, si filiolus forte subito afuisset, dixisset: nuper, quid dico nuper? immo vero modo ac plane paullo ante! (Cic. Verr. 6. c. 3.)

Iam ut progrediamur, de *νίτρῳ* non nitro nostrae aetatis sed natro sive sale alcalino minerali vide quae congessit Creuzerus, vir praestantissimus et de rebus meis optime meritus, in doctissimo opere, cui index est: Commentationes Herodoteae, I. p. 42. sq.; deinde non mutem *ἀγοράσδων* aut *ἀγοράζων* in *ἀγοραξῶν*, lectionem vero *κῆνθε φέρων* ferendam putem neque vero recipiendam, quum in tribus tantum codicibus reperta non solum a plurimis verum ab optimis etiam absit. *Ἅλες* autem neque de vero sale neque de sale in universum pro quavis re vili posito sumserim. Hoc enim non comprobatur, quum huius formulae rationem *οὐδ' ἅλα δοίη* Od. ρ'. 455. Theocrit. XXVII. 60. plane alienam esse appareat; illud autem non magis aptum esse sentias ex apposito Dioclidis exemplo. Mira vero ne dicam prorsus inepta est Ruhnkenii interpretatio p. 307. ap. Valcken., nihilominus laudata et probata a Bayero p. 18. At qui fieri potuerit, ut, quum uxor insigne stultitiae exemplum referre velit, videretur ille de consilio hoc fecisse, quippe qui homo antiquus et frugi pro nitro et fuco salem attulerit tacite monens uxorem, necessaria ad victum emenda esse, non nugas muliebres, haud perspicio. Exierat vir, ut ista emeret, nuper, neque vero hoc ipso die neque ab uxore missus ad huius diei splendorem sese exor-

natura; nam tum mane est necdum sumtum ientaculum, tum non prodiisset Praxinoë nisi Gorgo superveniens excitasset, ut supra vidimus: exierat, inquam, ille, ut natrum emeret et fucum, res in ornatu muliebri usitatas: ἅλας attulisse dicitur; non salem, opinor, qui in taberna seplasiarii inter medicamina faciei non potuit venum esse expositus, sed natrum, at vero non *Βερενίκειον*, sed adeo vile et depravatum, ut sal potius dici deberet. Ita acetum Romanis attulisse aut bibere dicitur, qui vino corrupto quod saporem perdidit, vappa, utitur; ita Graecis ὄξος de vino malo, licet non sit vere acetum; ita Dioclides v. 18. sqq. pelles ovium emturus, pelles quidem emerat easque ovillas, pessimae vero et corruptae conditionis. Uterque vir bonus ne usitatissimas quidem ac notissimas merces nosse et emere posse ab uxore arguitur.

At vero ille ipse locus de Dioclide iam est tractandus. Quamquam enim ex optimorum codicum auctoritate optime sese habet ita scriptus:

v. 18. Γ. Χὠμὸς ταὐτὰ γ' ἔχει, φθόρος ἀργυρίω, Διοκλείδας·
Ἑπταδράχμως, κυνάδας, γραιᾶν ἀποτίλματα πηρᾶν,
Πέντε πόκως ἔλαβ' ἐχθές· ἅπαν ῥύπον, ἔργον ἐπ' ἔργῳ.

tamen misere est lacessitus. Ac primum quidem disceptatum est inter Bentleium et Valckenarium, utrum ἑπταδράχμως an ἑπτὰ δραχμῶν sit scribendum, atque eo iam res pervenit, ut non solum hoc receptum sit ab omnibus, quod sciam, editoribus recentiorum temporum, verum illud ἑπταδράχμως quocunque sensu capias manifesto falsa lectio coeperit dici. Iudicandum est igitur nobis. Si ille πέντε πόκως ἔλαβεν ἑπτὰ δραχμῶν, omnes pelles iunctim emit septem drachmis; sin ἑπταδράχμως, pro unaquaque dedit septem drachmas, ideoque cunctas emit pretio XXXV. drachmarum. Iam si iunctim quinque vellera emisset pretio septem drachmarum soluto, bene emisset; at male emit, immo stultissime; hoc vult mulier, hoc ait.

Alexandriae, in urbe principe fertilissimae et amplissimae regionis, minore potius pretio ovem emi potuisse, quam Athenis, urbe tot hominum millibus referta, et eo sita loco, quo fame perire debuissent cives, nisi ex aliis regionibus et remotis adeo, immo ex ipsa Aegypto advectum esset, unde viverent, facile credas. At nolo minus pretium urgere; fuerit eodem pretio ovis Alexandriae emenda, quo Athenis. Ibi vero ovis decem fere drachmis poterat emi. Nam, ut cetera mittam, quae amicissimus Böckhius diligentissime enotavit in docto opere, cui index est; *Die Staatshaushaltung der Athener* T. I. p. 82. sq., apud Menandrum in *Μέθῃ* (Athenae. l. IV. p. 146. T. II. p. 73. Schweigh., et l. VIII. p. 364. T. III. p. 344. Schw.) qui proxime accedit ad Theocriti tempora, dixit aliquis:

τοῖς θεοῖς μὲν ἠγορασμένον
δραχμῶν ἄγω προβάτιον ἀγαπητὸν δέκα.

Ovis autem intelligenda est, qualis ad sacrificium apta et accepta Diis habebatur, neque ut Böckhius: *ein mäfsiges Opferschäflein* neque ut latinus interpres: ovicula drachmarum vix decem. *Προβάτιον* dixit Menander non quod aliquid detrahendum sit de praestantia ovis ad sacrificium selectae, sed quod una illa ovicula rebus plurimis et pretiosis ad coenae apparatum congestis opponitur. Hoc unum dubites, an accuratissime pretium sit indicatum, quum ille uti exaggerare videtur verbis sumtus convivii, ita, iis opponens sacrificii drachmas, numerum una fortassis minorem sumere potuerit. Utut est, hoc tanquam exploratum sumi potest, Athenis non ultra XVI. drachmarum numerum pretium ovis vel selectissimae constitisse (vid. Lys. p. 906. ubi fraudulentus homo XVI. in rationem retulit, coll. pretio boum Olymp. 101. ap. Böckh. p. 82.), et, quod posui antea, circiter X. drachmarum pretio id est e nostra ratione fere 2 thlr. 10 gr. 6 pf. Sicul. drachm. [3 thlr. 20 gr. Alex.] ovem Alexandriae potuisse emi.

Iste igitur Dioclides stultissime perdens pecuniam VII. drachmas dederat pro pelle ovilla eademque pessima, quum pro X. fere drachmis ipsam ovem potuisset emere. Ergo ἑπταδράχμως πόκως ille domum retulit, et ἑπταδράχμως, ut unaquaeque pellis septem drachmis emta sit [1 thlr. 17 gr. Sic., 2 thlr. 16 gr. Alex.], codices habent non solum optimi sed plurimi; immo illam lectionem ἑπτὰ δραχμῶν ne unus quidem codex, ut notat Gaisfordus, exhibet. Et rectissime quidem; nam tunc laudandus potius fuisset maritus ab uxore, qui pro quinque velleribus septem tantum drachmas solvens pecuniam optime locasse deberet putari.

Scilicet istae pelles *προβάτοις* detractae erant adeo *μαλακοῖς*, ut, quum pene pilis horrescere viderentur, ab uxore irata dicerentur caninae, *κυνάδες*, et *γραιᾶν ἀποτίλματα πηρᾶν* hoc est veterum laciniae perarum, *Fetzen von alten Ranzen*. Quum enim perae confici solerent e pellibus hirsutis et pilosis, earum potius et detritarum quidem diuturno usu fragmenta ac dilaceratas quasi ruinas putandas esse, quam ovilla vellera fastidioso iudicio mulier significat. *Γραίας* autem dici *πήρας* vetulas, iam iis collatis, quae Iacobs. ad Anth. Gr. IX. p. 220, Valckenar. ad h. l. maximeque ad Phoeniss. v. 103. (add. v. 1688) et Boissonad. ad Nicet. Eugen. II. p. 382. notarunt, offensioni esse desinet, ac neminem profecto offendit *σάκος γέρον* vel simile quidquam, quum *γέροντα* dici vetusta notum sit. At eadem in illis obtinet ratio. Itaque non erat, quod coniecturis hunc locum lacesserent VV. DD. atque refingerent *κινάδων γ. ἀ. πυῤῥῶν* (pilos vulpinos eosque rufos) ut Scaliger, aut *μηρῶν* aut *πυγῶν* ut Toupius, sive *πυγᾶν* ut Brunckius, aut *πλευρᾶν* ut Briggsius; neque erat, quod Valckenarius, Reiskius, Bayerus, Ahlwardtus et Kiesslingius, verbum *γραιᾶν* substantivum seorsim sumtum de ovibus vetulis iisque mutilis, ut aiunt, *πηροῖς*, intelligerent, neque quod Wartonus scriberet *πηρός*, *stultus ille, sensuque carens homo*. Ceterum non crediderim h. l. olim *διττογραφίαν* fuisse, quum unus codex (A. ap. Gaisf.) exhibeat *γραίας*, idemque dicatur legi in Schol. ad Hermogen. ap. Koen. ad Gregor. Cor. (p 329. ed. Schaef.) Quum ibi haec verba *γραῖας* (sic) *ἀπ. πηρᾶν* commemorentur non adiecta voce: *κυνάδας*, patet, non alius lectionis vestigia, sed errorem librarii deprehendi, praesertim quum Bastius p. 330. in duob. cdd. *γραίαν* (sic) repererit. Quodsi adfuisset lectio *κυνάδας γραίας, ἀ. πηρ.*; certe non esset praeferenda, quum non tam ad *κυνάδας*, quam ad *πήρας* epithetum requiratur. Itaque dixit Gorgo: Septem drachmarum, pilos caninos, veterum lacinias perarum, quinque vellera emit heri; ut ingenti isto pretio posito antequam malam conditionem vellerum notaret, stultitia viri magis quasi illustrata elucesceret. Sed iam incidenda esse videtur oratio colo posito post v. *ἐχθές*, reliqua enim non cohaerere cum antecedentibus docent et sensus et ipsa orationis conformatio. Quum non potuerit dici *ἔλαβεν ἔργον ἐπ' ἔργῳ*, intelligitur etiam *ῥύπον* non pertinere

ad illud verbum, ideoque sumas dicta *ἅπαν ῥυπόν (ἐστὶν)*, quemadmodum sumere debes *ἔργον ἐπ' ἔργῳ (ἐστίν)*; atque hoc comprobari videas ex absoluta et finita sententia — *πέντε π. ἔλαβ' ἐχθές*, cui vix poterat quidquam addi. *Ῥύπον* neutro genere dictum tuentur nunc praeter Suidam, Photium et Eustathium ea, quae doctissimus Lobeckius congessit ad Phrynich. p. 150. Formula autem *ἔργον ἐπ' ἔργῳ* licet aliter posita quam ap. Hesiod. *ἔργ.* v. 384. ubi denotat opera deinceps ex ordine, cfr. venerabilem Ilgen. ad Hymn. Hom. Merc. v. 120., tamen non recedit a significatione particulae *ἐπί*. Dixerat autem Gorgo ista de velleribus eo potissimum consilio, ut amicam per recordationem mariti invidi, morosi et stultissimi graviter commotam indicata infortunii et miseriarum societate quasi deliniret, ideoque statim ad id progreditur, cuius causa huc accesserat. *Βᾶμες*, ita excitat illam, *βᾶμες τῶ βασιλῆος ἐς ἀφνειῶ Πτολεμαίω, Θασόμεναι τὸν Ἄδωνιν.*

At iam sentio me impeditum iis difficultatibus, quas interpretes ad unum omnes removere studuerunt quidem neque vero potuerunt, quum tantae sint ac tales, ut locum prorsus inaccessum fecerint. Ad quem ut iam qualiscunque aditus patere nobis possit, singula moveamus necesse est. Ac primum quidem illa verba: *ἀκούω χρῆμα καλόν τι Κοσμῆν τὰν βασίλισσαν·* male explicant: *audio*; quasi nesciant *ἀκούω* saepissime idem denotare, quod *ἀκούσας ἐπίσταμαι*, aut, obscurata adeo notione audiendi, ipsum *ἐπίσταμαι*, *οἶδα*, *cognovi*, scio. Vid. Od. *β'* 118, *γ'*. 193, *δ'*. 94, *ό*. 403. Il. *ώ*. 543 etc., cfr. Heindorf. ad Plato. Gorg, p. 195, Dorvill. ad Charit. p. 562 Lips., Ast. in Plat. Leg. I. 1. p. 9. (qui falso Heindorf. p. 119. et Sturz. Lex. Xen. I. p. 483. laudat, ubi nihil eiusmodi legitur), Boissonad. ad Philostr. p. 397. Deinde vero in illo versu 25: *ὧν εἶδες, χὤν εἴπας, ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι*, de quo persanando adeo desperarunt, ut Reiskius, Graefius, doctiss. F. Jacobsius, et Valckenarius ante ipsum hunc versum alium excidisse putarent et Brunckius ipsum abesse vellet, solebat paullo ante nostra tempora cum Scholiorum auctore suppleri: *διηγήσαιο*. Quod quum fieri non possit, cfr. Schaefer. ad Lamb. Bos. p. 601., et intellectum adeo nunc sit, omitti hanc notionem non potuisse, nisi finibus eorum, quae reticeri possint et quae debeant

dici, aut plane demtis aut sine mente ac ratione constitutis; coniecerunt alii: *ὧν ἴδες, ὡς εἴπαις ἂν ἰδοῖσα τὺ τᾷ μὴ ἰδοίσᾳ*, alii *ὅσσ' ἂν ἴδοις εἴπαις κεν*, alii *ὧν εἶδες, χ' εἴπαις κεν* ut sit *καὶ εἴπαις ἄν*, alii *ὧν ἴδες, ὧν εἴπαις ἂν*, alii *ὧν ἴδες, ὧν εἶπάς κεν* ut quum ex lege atque ordine dicendum fuisset *τῶν* sive *τούτων*, ex usu vitae vulgique formatum esse sumeretur *ὧν εἶπάς κεν*, ad similitudinem formulae *ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην*, et si qua est eiusdem rationis; ideoque significari hoc fere: quae vidisti, eorum aliquid poteras tu narrare ei, qui non vidit. Atque haec explicatio adeo est elegans, ut si ille usus vel ex aliqua parte comprobari posset, libenter eam aut hanc *εἴπαις κεν* reciperem. Nunc certe proxime abesse eam puto a vera ratione, a qua iusto nimis recedunt Briggsius, Sanderus et Moebius. Briggsius enim ita scripsit: *ἀκούω χρῆμα καλόν τι, Ὧν εἶδες, χὤν εἶπας ἰδοῖσα τὺ τ. μ. ἰ. Κοσμῆν τὰν βασίλισσαν· ἐν ὀ. ὀ. πάντα. Πρ. ἕρπειν ὥρα κ' εἴη; Γ. ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά*, quae non possum explicare; Sanderus autem in Bibl. crit. Hild. a. 1820. p. 309. *ἀκούω χρῆμα καλόν τι Κ. τ. β. (ἐν ὀλβίῳ ὄλβια) πάντων ὧν εἶδες χὤν εἶπας ἰδ.*, iungens *χρῆμα καλόν τι πάντων* pulchrum prae ceteris (*'schöner als alle'*), reliqua ipse non exposuit. Denique Möbius in eod. libr. p. 573. haec proposuit: *ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα, ὧν εἶδες, χ' ὧν εἶπας, ἰδ. κτλ.* hoc sensu ut ait: 'in opulentis aedibus opulenta omnia, quaecunque quis videre, quorumque posteaquam vidit, aliquid narrare solet' (at unde hoc?) 'ei, qui non vidit. Nam', inquit, 'vel post *πάντα ἐκείνων* s. *τούτων*, vel post *ὧν*, si mavis, *τί* supplendum'. Haec illi, quae nolo refutare. Recte quidem a plerisque verba *ἰδεῖν τινῶν* ita intelliguntur: aliquid de re vidisse, et addi possit locus Xenoph. Memorab. I. 1. 11. *εἶδεν Σωκράτους πράττοντος*; recte etiam *εἰπεῖν* aut *λέγειν τινὸς* ita accepta videmus uti *πίνειν οἴνου*, quibus denotetur: narres aliquid eorum sive ex iis; recte denique sensisse putandi sunt plerique, ultima verba *τῷ μὴ ἰδόντι* omnino esse dicta, quum si secus esset *τῇ οὐκ ἰδούσῃ* 'mihi quae revera non vidi' aut *τῇ μὴ ἰδούσῃ* quae non vidisse putanda sum, fuisset a poëta scribendum. Quod quia non est factum; per masculinum genus quo positum est *τῷ*, hoc est *illi, qui*, neque vero *τῳ* ut sit *τινὶ*, cuius in eiusmodi sententiis, quae in universum dictae sunt, licet ad feminas convertatur oratio, ubique solet obtinere usus, aeque ac per particulam *μή*, quae docet ad sententiam illa et cogitationem referri, ab omni parte illa explicatio comprobatur. Est igitur hoc dictum: *ἐκείνῳ, ὃς ἂν μὴ ἴδοι* sive *ὅστις οὕτως ἔχει, ὥστε μὴ ἰδεῖν*.

His positis iam videamus, quid de ceteris sit statuendum. At codices quidem et editiones antiquae atque eorum scriptorum loci, qui hunc versum commemorant, in ea plerumque lectione consentiunt, quam paullo ante tanquam receptam posui, nisi quod alii *ὧν ἴδες* alii *εἶδες*, atque alii *χὤν εἶπας*, alii *ὧν εἶπας*, sive *εἶπες*, *καὶ* habent, hac vocula, quod haud raro factum est, ut infra v. 118., male adiecta.

Personae autem in codicibus Vaticanis, si fides haberi potest Wartoni notis, ita sunt descriptae, ut verba versuum 18. 19. et 20. Gorgoni, Praxinoae autem versus 21. 22. 23. 24 et 25. tribuantur, sed in codice Mediceo a versu 18. ad finem versus 28. omnia Gorgoni adscribantur. De ceteris codicibus nihil esse notatum noli mirari. In editione Calliergi ad versum: *θασόμεναι κτλ.* inepte appictum est Praxinoës nomen, et denuo insertum ante verba: *ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα κτλ.* Sed editiones Aldina et Iuntina usque ad v. 25. omnia, ideoque illa quoque verba *ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα*, Gorgoni assignant, ad ipsum autem hunc versum 25. Praxinoës nomen habent appositum, cui male cetera quoque tribuentes, recedunt a Calliergi descriptione, qui versum 26. rectissime Gorgoni concessit. Ex his quae notavi, video mihi excusationem parari apud eos, qui mutatum esse quidquam in hoc loco mirentur. Quamvis enim libere sive sine codicibus sive adversantibus iis personarum rationem rectius describere liceat; tamen hic eam a me animadvertent ita dispositam, ut veterum illarum editionum vestigiis ego potius insistens, quam meae obsequutus opinioni eam videar constituisse.

Totum enim hunc locum ita distinguam, ut a Gorgone versus 24. non dimidiatus tantum sed totus dicatur; sequentem vero e vulgata ratione Praxinoë retineat, ultimis amicae verbis:

ἀκούω χρῆμα καλόν τι

24. *Κοσμῆν τὰν βασίλισσαν· ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα.*

haec respondens:

24. *ΠΡΑΞ.* Ὧν εἶδες, χὤν εἶπας, ἰδοῖσα τὺ τῷ μὴ ἰδόντι! —
ΓΟΡΓ. Ἕρπειν ὥρα κ' εἴη· ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά.

In his nihil a me mutatum, nihil novi inductum dicas, nisi forte signum exclamandi, quod e codicibus non potuit depromi, quum apud antiquos eius usus non esset; in quo tamen hodie commendando deficientem antiquitatis gloriam gravi utilitatis momento satis opinor compensabimus.

Sed tamen Gorgo, quae, uti iam antea perspeximus, nunc certe non ea de causa venerat, ut otiose cum amica colloqueretur, sed ut sociam peteret viae et voluptatis, ideoque moras potius removeret quam necteret; de marito suo breviter dixerat, modo ut deliniret amicam eiusque iram plurima effutire cupientem inhiberet. Statim id, cuius causa venerat, et quod illis quasi praeparaverat claro eloquitur: Age eamus! Adonia spectemus! Ut excitet amicam addit Gorgo, scilicet quae modo advenerat ac videre iam quidquam potuerat: (ἀκούω) novi insignem ornatum ibi exhibere reginam, neque hoc mirum, nempe ἐν ὀλβίῳ δώμασιν ὄλβια πάντα. His verbis Praxinoë, quae sive ignara sive immemor hodiernae solemnitatis domi manserat, neque omnino exiisset postea, nisi amica evocasset, his, inquam, dictis repente percussa, stupefacta, admirabunda exclamat: Quid vidisti! et quid dixisti tu (felix et fortunata) conspicata non conspicatae! *Was sah'st Du! und was sagt'st Du (Glückliche) einem, der es nicht gesehn!* Suspicatur quidem Gorgonem, quod et ex verbis et e viae ratione probabile immo pene certum videbatur, antequam huc pervenisset, oculis spectasse suis si minus omnia, at aliquot certe huius diei ornamenta.

Facilius concedas nobis ὧν pro οἵων dictum, quam pro τούτων, quum ὅς interdum adeo interrogandi habeat potestatem; fortassis igitur leniorem certe hanc dicas explicationem quam illam. Sed tamen si ille usus, ex quo ὧν ἴδες, ὧν κτλ. dicta sumuntur pro his ὧν ἴδες, τούτων, vel aliqua tantum ex parte posset comprobatus dici; ipse reciperem illam lectionem ita scriptam ὧν εἴπαις κεν (possis fortassis), quibus verbis tunc apte reponeret Gorgo: Immo, ἕρπειν ὥρα κ' εἴη, (*neque vero enarrandi*). Nam si quis sumeret interceptum esse a Gorgone Praxinoës sermonem antequam absolveretur addendis

post verba τῷ μὴ ἰδόντι — his fere: eorum quaedam enarres mihi; audaciae is haud dubie nimis indulgeret.

At Gorgo: ἕρπειν ὥρα κ' εἴη respondet, non indicans otium aut esse aut sumi posse, sed eundi tempus esse, si velint recte delectari, cavensque ne sero et iam recitato carmine solemni adveniant. Itaque, ne cunctetur illa et incomta et in garriendo perquam occupata et, quidquid illic sit spectatura expositum, tamen interea domi ab amica narrando nonnihil exponi cupiens: *festina*, inquit, *tempus est!* Quamobrem subridens addit ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά, ut dum sese pariter atque amicam perstringere videatur, laudet potius, illamque celerrime ad abitum permoveat. Quod serio et ex animi sententia dicenti ita fere fuisset exprimendum: Nobis, quae continuis laboribus assidue conterimur, ad splendidissimum illud spectaculum hoc die et solemni festoque et uno aliquantulum temporis, opinor, semel erit concessum; id lepide invertit, ut tum blande laudet tum cito permoveat amicam, quum illud habuisset et quandam gravitatem severam alienamque et opportunitatem plurium verborum. Quam alii autem inesse putant sententiam: otiosis semper otium est ad colloquium instituendum, nos, quibus tantum felicitatis haud contigit, festinare debemus: eam vix crediderim his verbis ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά fuisse expressam, praesertim quum illo die esset ἑορτά. Bayerus illa increpanti Praxinoae tribuit, quae Eunoën servam otiose adstantem ita ad opus excitaverit. Sed quod iam e sensu nexuque non est aptum, minus etiam apta de causa ille fecit. Parum recte enim ipse locum explicat, in quo plurimi interpretes alii alio modo a vero aberrasse videntur. At age, iam singula examinemus.

Ac primum quidem νᾶμα, quod aquam significat, hoc in loco aliis stamen, aliis vestem, aliis mantele denotare visum est. De manteli, ut ab hoc incipiamus, unus, quod sciam, Kiefslingius intelligit, neque vero, ut refert in edit., Ahlwardtus. Explicat autem Kiefslingius νᾶμα de manteli, non quale ad mensam tegendam usurpabatur, cfr. Isidor. Orig. l. XIX. c. 26, sed ad manus tergendas, qui eius usus fuit apud antiquiores Romanos; ut igitur νᾶμα sit χειρόμακτρον sive mappa, linteolum villosum, qualia Pollux l. VII. c. 16. sect. 74. μαντήλας dici refert.

At vero neque comprobavit Kiesslingius per νᾶμα posse denotari mantele, neque unquam poterit comprobare. Vt possit, quod non potest, quid quaeso illud sibi velit hoc in loco? Deest enim tunc illud mantele v. 32 et 33, ubi expectes id aut porrigi aut posci ad manus abstergendas. Cetera, quibus laborat haec explicatio, communia habet cum iis, quas iam recenseamus.

De veste enim interpretati sunt νᾶμα Dahlius et Ahlwardtus, de stamine autem telaque nondum absoluta Koenius, Vossius, Bayerus. Ergo si sit vestis aut stamen, ubi sunt ista? Iacent ea in medio conclavi! '*αἶρε*, tolle!' hera inquit 'et pone in sella', ita aiunt. At qualis rerum habitus, si in medio conclavi aut mantele, aut stamen aut vestis esset proiecta? et quo consilio id esset fictum a Theocrito? quae inde possit redundare voluptas? Qua quidem confusa imagine qui non oblectatur Bayerus, rem ita ipse, ut ait, sibi fingit p. XXI. 'Eunoa stamen reliquit Gorgoni advenienti ianuam aper-'tura. Iam loquuntur mulieres de maritis quaeque suis, quibus Eunoa 'otiosa adstans attendit. Hinc hera illam alloquitur: *otiosis semper 'feriae. Cape, Eunoa, stamen, et in medium rursus depone, per-'dite delicata.* — Iam vero recordatur lota ad festum exeat necesse 'esse, hinc subite, *move te*, inquit, *adfer aquam, aqua primum 'opus est.*' Haec ille habet, ex quibus apparet, eum νᾶμα intellexisse de filis in fusis colisve, quod opus lanifica serva neglectum deposuerit. Saltem hoc melius, quod non de opere textili in tela, sed de filis in colo illud νᾶμα explicat. At vero v. 29. domina iubet afferri aquam, φέρε ὕδωρ servae acclamans, quid affert illa? νᾶμα, v. 30. ὡς φέρει νᾶμα. Illud quidem, aiunt, a garrula muliercula inseritur, quae dum ancilla aquam et νᾶμα illud affert, mutabili ingenio et veloci lingua illud νᾶμα unum respicit. Vt sit; quid lucramur? quid sibi volunt in afferentis ancillae manu aqua et vestis aut stragulum aut stamen sive de opere texto, sive de filis in colo sumas? Quid inquam haec, et nunc, dum urget domina, poscens quae ad corpus lavandum vestiendumque pertinent? et iuncta cum aqua? Sed afferat ista, iuncta adeo; quid sequitur? δὸς ὅμως; quid porrigat? mantele? aut vestem? aut stamen? μὴ πουλύ! increpat hera; num hoc etiam de manteli aut veste, aut stamine? Alteram enim lectionem, e qua iunguntur μὴ πουλύ, ἄπληστε, ἔγχει ὕδωρ, ineptam esse et maxime ieiunam elucet. At unde aqua in prioribus intelligatur, nisi velis eam κατὰ τὸ σιωπώμενον sumere? Sed ut sit vestis, quam hic, ubi de domina ornanda agitur, facilius feras, quam cetera, quaenam esse possit vestis, quam nunc afferat ancilla? Nam quibus uti volebat Praxinoë, eae commemorantur v. 21. ἀμπέχονον et περονατρίς. Haec v. 34. ἐκ λάρνακος depromitur et dicitur ἐμπερόναμα; illud v. 39. iniicitur. Quod autem v. 31. animadvertimus χιτώνιον madefactum, eo erat iam induta. Quam igitur vestem quaeso nunc afferat serva? Denique νᾶμα fila quidem in fusis colisque denotare possit, fortassis etiam telam sive stamen in tela, neque vero opus quoddam textile iam absolutum; de veste autem ac de manteli aut stragulo nullo modo dici potest. Sed tamen ne de filis quidem in colo, quamquam vel his in illa imagine locum esse non posse, iam perspeximus, ne de filis quidem inquam intelligi potest. Haec enim si voluisset significare poëta, νῆμα dixisset, ut Id. XXIV. 74, neque vero νᾶμα, quod ubique denotat aquam, cfr. Valckenar. ad l. l. et ad Adoniaz. p. 372. Restat igitur, ut de aqua videamus, quam per νᾶμα ex usu linguae etiam hoc in loco significari cum ceteris interpretibus statuo. Haec enim aquae sive liquoris vel laticis notio subest, sive de fonte dicatur νᾶμα, ut a Lucian. Hermotim. 60. et bis accusat. 1., sive traducta imagine, ut in his ποταμὸς χρυσοῦ νάματα παρέχει (flumina auri) ap. Lucian. Epigr. 14, aut de carmine νᾶμα γλυκὺ Oppian. Hal. IV. 9. cfr. Iacobs. Anth. Gr. T. XII. p. 155, aut χαλικρήτῳ νάματι βριθομένη non temperato liquore (et vini quidem) onerata ap. Agath. ep. 8. Iacobs. Anth. Gr. IV. p. 6. Iam vero dicendum est de ratione, qua ille latex aquae hoc loco intelligendus sit, quam interpretes quidem neglexerunt. Hanc ut percipias, memineris in Aegypto rem agi et Alexandriae quidem; qua in urbe de alia quaquam, quam de suavissima et saluberrima aqua Niliaca non potest esse sermo. Haec autem propter coeli temperiem in vasis inclusa, loco frigido ideoque remoto servabatur recondita, ne calefieret. Hoc est νᾶμα, quo vocabulo domina illam aquae in vase reconditae copiam intelligit, per ὕδωρ deinde omnino rem ipsam denotans. Rectissime igitur, quamquam non satis perspicue, explicat glossa Vaticana νᾶμα] τὶ ἄγγος. Eunoë,

inquit hera, *αἶρε* tolle et affer liquorem (*τὸ νᾶμα*): verbum *αἴρειν* autem hoc sensu, ut denotet sublatum afferre iam Valckenarius comprobavit. Pergit illa *καὶ ἐς μέσον αἶν. θὲς πάλιν*, in quibus illud *ἐς μέσον* male explicari solet. Non enim significat: in medio conclavi ponas, sed: in vicinia, ut ad manus mihi sit. Ita *ἐν μέσῳ* (*in vicinia*) legitur ap. Callimach. Epigr. 32: *τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν*

Οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα (quae prope adsunt) *παρπέταται*, et apud ipsum Theocritum c. XXI. v. 17. *οὐδεὶς ἐν μέσσῳ γείτων* (*ἦν*) *neque quisquam erat in propinquo vicinus.*

Quum enim ubique sit *ἐς μέσον* in medium et *ἐν μέσῳ* in medio; id quod *ἐν μέσῳ* est, si ita dicatur, ut *ἐν μέσῳ* duarum rerum eo ipso disiunctarum interiectum aut sit aut cogitetur esse, potest aut *discrimen* significare, quod inter utramque intercedit, ut ap. Lucian. Abdicat. c. 29. T. II. p. 184. R. *ὡς πολὺ τὸ ἐν μέσῳ βίῳ παντὶ καὶ πράξεσιν* et Eurip. Alc. 917. Hecub. 1099. Herodot. 9. 82., aut *impedimentum*, cfr. Dorvill. ad Chariton. p. 568. Lips., quod, quum inter nos et illam rem intercesserit, prohibet, quominus ad eam accedere possimus. Praeterea vero, quum, si quid *ἐν μέσῳ ἡμῶν* sive omnino hominum esse dicatur, in conspectu id sit omnibus, *ἐν τῷ μέσῳ* pene idem significare potest, quod *ἐν τῷ φανερῷ* et *φανερῶς*, ergo sive publice sive manifesto; at vero, quum quod omnibus expositum sit et quasi pateat, non tutum sit, *ἐν μέσῳ εἶναι* denotat etiam rapinis esse obnoxium cfr. Bergl. ad Alciphron. Ep. p. 235. Quemadmodum autem in his omnibus, quae ad explicandam huius formulae rationem monui, prima significatio subest, ita facile etiam intelligitur, ab illa, per quam *εἰς τὸ μέσον* denotet in medium proferre, ut conspici possit et prope adsit, ut Lucian. Gymn. 17. Hermot. 38. 64. Epist. Saturn. 19., proxime eam abesse significationem, qua indicet in vicinia, ideoque prope sive ad manus esse.

Quum de verbo *αἰνόθρυπτε* ad v. 99. dicendum sit, nunc ad illa progrediamur: *θὲς πάλιν.* Haec autem neque ita sunt dicta, uti Vossius sumsit, interpretatus; *und wo du es* (*das Gewebe*) *wieder so hinwirfst!* neque ita, ut iis iubeat domina denuo afferri, quod paullo ante iam allatum fuerit a serva, ideoque repeti ab hac actionem vix absolutam; sed ut aquam illa sibi rursus poni velit ad

manus, uti fuerit aliquando antea. Eodem modo *αὖθις* et *ἂψ* interdum ponuntur, quando fit aliquid, quod antea non erat factum, per illud autem ipsum, quod fit, aliud quidquam in pristinam restituitur conditionem, aut quod erat interea factum, iam redditur irritum. Ita *γέρας ἂψ ἀφελέσθαι* Il. π'. v. 54. 58. dicitur Agamemno, non quod iam semel ereptum antea nunc iterum eripuerit, sed quod Achillem hac ipsa re in pristinum reduxit statum, eum dico, quo erat nondum accepto illo munere. Similis est usus in nostra lingua, quum verba *wiedernehmen*, *wiedergeben* et omnino *wieder* sic poni possint, uti modo dix Od. μ'. v. 199. ubi recte *ἂψ* neque vero *αἶψ'* est legendum, non ita se habet, ac si ceram sibi et Ulyssi vincula iam antea semel demta nunc iterum demsissent socii, sed ut Ulysses et ipsi denuo eo esse coeperint statu, quo fuerat ille antequam ei vincula essent iniecta, ipsi autem antequam aures oblevissent. Neque dubitandum est igitur de Xenophontis loco Anabas. 3. 2. 11., in quo qui e verbis: *ἐλθόντων μὲν γὰρ Περσῶν καὶ τῶν σὺν αὐτοῖς παμπληθεῖ στόλῳ, ὡς ἀφανιούντων αὖθις τὰς Ἀθήνας*, vocem *αὖθις* omittunt, quae in Eton., Paris. F., et marg. H. Steph. legitur, manifesto lectionem exhibent grammaticorum curis deformatam, qui illum usum ignorantes locum ad consuetam magisque planam rationem mutarent. *Αὖθις ἀφανιοῦντες* dicuntur Persae *τὰς Ἀθήνας*, non quasi iam semel a se deletas iterum vellent delere, sed *ὡς αὖθις ἀφανεῖς ποιήσοντες τὰς Ἀθήνας* in eum statum redacturi urbem, quo Athenae *ἀφανεῖς* erant, scilicet nondum exstructae.

Restat, ut de *γαλέαις* dicam. Feles sunt, inquis, ut docuit Perizonius. Credo; sed tamen quid iis fiat quaero. Ac putant quidem interpretes Praxinoën dum iuberet aquam afferri subito animadvertisse feles suaviter recubantes in illo *νάματι*. Propterea istae in manteli negligenter proiecto reponuntur, aut in veste a Dahlio aliisque, aut in stamine aut stragulo aut filis, aut in culcita a Reiskio, aut in sella sive lectulo ab Ahlwardto p. 91. Praxinoë autem sumitur aut his verbis vetuisse, ne id fieri sinat Eunoë, ut Dahlius censuit, aut garriens nullo consilio haec immiscuisse sermonibus, quod Vossius, Ahlwardtus aliique statuunt, aut repente mutato consilio et abiecto dixisse *αἶνυε, ῥίπτε, depone rursus aquam, hoc prius age, ut feles molliter cubent*, quae est Reiskii infelicissima opinio. Cur tandem

ita de felibus statuitur? Ab Aegyptiis, inquis, feles magni aestimatae. At Graecae sunt mulieres illae et Syracusanae. Sed mittamus illos, qui felibus iusto benignius prospexerunt, haud opportuno loco illi praecepto, opinor, obsequuti, ex quo probus quisque vel pecoris misereri debet. Enimvero sunt istae feles e molli sede a nobis cum summo Valckenario aliisque excutiendae, quippe quum haec de ancilla segni nec satis alacri, neque vero ut vult Valckenarius eadem rapaci quoque et furante, ad proverbium esse dicta statuamus. Et proverbiis abundant garruli isti sermones, ut v. 24. 26. 32. 40. 45. 62. 64. 74. 76. 83. 95., quorum uno Praxinoë hoc in loco utitur, mussitans et irata, quum Eunoë lentius ire, certe non ad desiderium urgentis dominae properare videatur. Verbi *χρήζειν* notionem satis explanat Valckenarius p. 328.

Sed iam iratior hera acclamat servae *Κίνευ δή:* quae quidem particula poni solet non solum post verba *ἴθι, ἄγε, φέρε* et quae similem exprimunt notionem, cfr. Lennep. ad Phalarid. Epist. p. 246. sq., verum etiam omnino post imperativos, cfr. Boissonad. ad Philostrat. Her. p. 350, Hemsterhus. ad Lucian. I. p. 90, Böckh. in Min. Plat. p. 58. 141. Pergit Praxinoë *ὕδατος πρότερον δεῖ,* prius opus ea est, quam ceteris omnibus, quae deinde erunt afferenda.

His ita illustratis, age, totum loci tenorem contemplemur, quem equidem sic conformatum esse puto.

Praxinoë a Gorgone ita excitata, ut magis etiam, quam per indolem erat ipsa, videndi iam esset cupida, quum illa monuisset festinandum esse, subito properat, ut lavetur, amictum iniiciat, exeat. Hinc fit, ut celerrime et quasi raptim ornandi labores absolvantur, aliter quam dixit Terentius Heautont. II. 2. 11. Non cógitas hic lóngule esse? et nosti mores múlierum: dum móliuntur, dum comuntur, ánnus est.

Ergo instat, urget, increpat, ita, ut ancilla satis properare etsi velit non possit; ac debent ista omnia, quae a versu 27. ad 33. extremum leguntur carptim quidem et membratim ab hera, sed quam poterat maxima celeritate et linguae volubilitate prolata cogitari. Ac primum quidem haec acclamat ancillae: Tolle aquam et affer ad me! Quum ista, licet fortassis satis festinanter, tamen ad huius exspectationem lentius iret, haec stomachosa, quasi in sinum mussitans murmuransque proverbio perstringit segnem: Sane quidem felibus suaviter dormiendum est!

Sed iam iratior voce magis elata increpat: *Κίνευ δή κτλ,* 'non enim possum quidquam aliud agere antequam lota sim.' Interea illa sublatum vas illud aquae Niliacae affert, quod, quum a domina ut quam citissime afferat iterum iterumque excitata sit, gestat manibus parum curans quam eleganter prehenderit aut quo habitu ferat, modo ut cito adsit. Quem habitum servae propter festinationem male ferentis domina notat ad Gorgonem conversa et haud dubie digito monstrans: *ἄδ' ὡς νᾶμα φέρει!* Ista viden ut male gestet urceum? Comprobatur inde quod Valckenarius docuit, *ἄδ'* esse legendum neque vero *ἃ δ'*. Eunoë irridentem dominam audiens emendare vult habitum, quo illud vas ferat; hinc oritur nonnihil morae, cuius impatiens Praxinoë ad ancillam: Cedo, dixit, age vero; funde, utut est.

Ancilla tot praeceptis minisque increpantis tamque diversa garrientis dominae perturbata cito quidem sed plusculum etiam aquae infundit in porrectas eius manus.

Itaque haec ita inhibet: *μὴ πουλύ, ἄπληστε!* Id ne iterum committat cavens Eunoë paullulum retracto vase, dum curat, ut minus effundat, ut est perturbata, desinit adeo.

Propterea morosa hera denuo infundi iubet aquam *(ἔγχει ὕδωρ)*; serva autem nunc magis etiam perterrita quam antea, plusculum etiam infundit, ac proinde *τὸ χιτώνιον* dominae, interiorem vestem, quae ad corpus erat, conspergit. Quod illa sentiens indignata increpat: *δύστανε, τί μευ τὸ χιτώνιον ἄρδεις;*

Statim quum properata haec lavatio pro absoluta haberi possit: *παῦσαι* inquit, sic satis vel plus satis etiam sum lota. Iam urget de ceteris, vestes vult promere; deest clavis, poscitur a serva:

ἁ κλὰξ τᾶς μεγάλας πᾷ λάρνακος; ὧδε φέρ' αὐτάν!

Ab Eunoë statim affertur aut datur clavis: hera recludit cistam, aperit; vestem promit, induit. Haec quam bene sedeat, Gorgo prope adstans et intuens, postquam ista omnia tacite contemplari et voluerat, ne mora fieret, et debuerat, quum amicae velocitas ne verbulo quidem inserendo concederet locum, nunc admiratur v. 34. sq. Veruntamen haec verba, et quae v. 36—38. legimus, disseruntur, dum

Praxinoë iniectam vestem fibulis in humeris et latere connectit; cfr. Polluc. VII. 54., Millin. Peintures des Vases Antiq. I. tab. 36. Winckelmannus enim in historia artis (Op. T. V. p. 18. et 31.) non satis recte de hoc σχιστῷ χιτῶνι Doriensium mulierum monuit, cfr. Aelian. Var. H. I. 18. et quae Valckenar. affert ad h. l. p. 321. et ad Herodot. V. 87. Quod v. 35. legitur πόσσω κατέβα τοι ἀφ' ἱστῶ; recte quidem intelligitur: facilius tamen perspiciatur, si repules telam in altum erectam stetisse, neque vero uti apud nos per transversum fuisse expansam, ita ut opus perfectum de tela deorsum depromeretur. At constare dolet Praxinoë πλέον ἀργυρίω καθαρῶ μνᾶν, ἢ δύο· qui locus, ut permulti alii, falso in eorum numerum refertur, in quibus particula ἢ post comparativum cum genitivo abundanter sit posita. Quum enim verba ita se excipiant: πόσσω κατέβα; μνᾶν (κατέβα) πλέον ἢ δύο: iunxerunt omnes non recte: (κατέβα) πλέον ἢ δύο μνᾶν.

Quae de versu 38. contra Valckenarium ceterosque disputari debent, rectissime video a Kiesslingio esse prolata.

Itaque v. 44. Phrygia serva domi remanet cum Zopyrione, Gorgo et Praxinoë cum servabus Eutychide et Eunoë exeunt, ac Phrygia aulae ianuam claudit.

Statim ut egressae sunt ex aula in viam publicam, vident ingentem hominum ad palatium Ptolemaei confluentium numerum; ita ut hoc non procul ab ista domo afuisse videatur, quod etiam e brevi tempore, quo via absolvitur (ad v. 65.) haud improbabile esse dicas. Postquam aliquantulum in illa via processerant, Praxinoë dum secum laeta reputat, in tanta hominum turba se nondum esse laesas aut compilatas, hanc securitatem publicam inter beneficia Ptolemaei Philadelphi referens

— οὐδεὶς κακοεργὸς, inquit,
Δαλεῖται τὸν ἰόντα παρέρπων Αἰγυπτιστί·
Οἷα πρὶν ἐξ ἀπάτας κεκροταμένοι ἄνδρες ἔπαισδον,
Ἀλλάλοις ὁμαλοί, κακὰ παίγνια, πάντες ἐρειοί.

Παίγνιον est res ad ludendum vel lusui inserviens, sive ἀναθήματα cfr. Iacobs. Anthol. Gr. IX. p. 411, sive ἀθύρματα cfr. Iacobs. l. l. XII. p. 291. denotet. Hinc rem quae est lusui id est ludibrio significat, Iacobs. ib. X. p. 47. cfr. praeterea Lennep. ad Coluth. p. 20., interp. Thom. Mag. p. 17. sq., Heins. ad Theocr. p. 368. Denique ipse lusus est, ut h. l., Diogen. Laërt. IV. 6. 12, et Cyrill. ad Ies. c. 18. Op. T. II. p. 276. D. ἐτελεῖτο τὸ παίγνιον τοῦτο. Itaque patet non posse hoc loco Aegyptios intelligi, quos poëta κακὰ παίγνια dixerit, ut plerique volunt quamquam sentientes nove dictum esse παίγνιον de eo, qui alium ludibrio habeat, cfr. Iacobs. Anth. Gr. X. p. 47., et omnino maxime simplicem esse eam rationem, ex qua iungamus ἔπαισδον κακὰ παίγνια, ut neque per artificium quoddam cum Valckenario verbo παίζειν furandi notionem comparemus, neque cum eodem ceterisque struamus ὁμαλοὶ κακὰ παίγνια similes sibi malis lusibus sive in iis.

At vero restat ultima vox, de qua veluti de emortuo iam pridem est conclamatum; neque defuerunt, qui coniecturis decertantes quasi ludos funebres exhiberent. Quod enim multi codices et editt. antiq. exhibent, nunc ab editoribus plerumque receptum, ἐρειοί; id in duobus Mediceis scribitur ἐρείοι, in aliis ἐριοί aut ἐρίοι; ita certe in melioribus. Sive ἐρειοι sive ἐριοι scribas nihil refert; neutrum est verbum graecum. Eadem vox ἐρεῖος per errorem librarii corrupta legitur monente Tib. Hemsterhusio in Eubuli versu ap. Athenaeum p. 108. B., sed l. VI. p. 228. restitutam videmus, ἐρῶσα.

Scholia graeca ad hunc versum desunt; glossae cdd. Vatt. habent σκοτεινοί, sine dubio ab ἔρᾳ derivantes; addunt σύμφωνοι, at hoc, uti iam Ruhnkenius vidit et e gloss. cod. Florent. apparet, ubi habemus συμφωνοῦντες ἐν τῷ παίζειν, ad vocem ὁμαλοὶ explicandam referri debet. Itaque Scaliger coniecit ἐρεμβοί sive ἐρεμνοί, fuscos, nigros volens; et Erembi iam apud Homerum leguntur, prope Aegyptum habitare ii putandi sunt; at vero ab hoc loco non minus alieni, quam fusci Aegyptii. Casaubono placuerunt ἄρειοι militares, Toupio et Brunckio ἀεργοί, ut sint desides ii et pravi, Musgravio rustici et rudes ἀγρεῖοι, Briggsio inutiles ἀχρεῖοι, Wartono et Ahlwardto ἀραῖοι exsecrati, ut aiunt, et devoti sive detestabiles. Eldickius scripsit κακὰ παίγνια παίσδεν ἄριστοι. Valckenarius sumit in locis paludosis habitantes, ut sint ἔλειοι, idem vero suspicatur ἀγανούς vel ἀγητούς, neque improbat Toupii et Brunckii ἀεργούς. Ioan. Henr. Vossio, quum genus accipitris ab Hesychio notetur ἐλειός, esse videntur ἐλειοί, *Galgenvögel*, ut ait, sive *Rabengesindel*. At unde comprobentur?

Denique ἔριθοι repositi sunt a Moebio in Bibl. crit. Hildes. a. 1820. n. 6. p. 469, ut significentur pauperes servi. At vero, ut ita dici possit, quid hic sibi vult? nemone dives? poteratne a Theocrito ita poni, qui v. 80. sensu maxime diverso h. v. scripsit.

Possem equidem, ne ἀσύμβολος decederem, adiicere ἐρῖνοί, adiectivi formam ex Euripide petitam pro usitatiore ἐρινεός. Ἐρινοὶ quidem essent homines ex ἐρινεοῦ ficu silvestri, eodem sensu quo σύκινοι ficulni dicuntur, fragiles, inutiles. At quum non possit demonstrari, ἐρινεοὺς ita usurpari ut συκίνους, nolo hariolari.

Ergo quam codices habent lectionem, ea vox non est; Scholia desunt; restant igitur glossae. Glossa autem cod. Par. apud Ruhnken. exhibet μεγαλοπρεπεῖς, ἔνδοξοι; addit Ruhnkenius: 'quid Scholiastes in libro suo habuerit, non divino,' recte autem censet glossam cod. Florent. ap. Warton. μεγαλοπρεπέστερον δόξοι hinc esse emendandam.

Itaque iam olim aliquid discrepantiae erat in lectione, nam glossae Vatican. habent σκοτεινοί, Paris. autem et Florent. μεγαλοπρεπεῖς, ἔνδοξοι, illud enim, quod additur in Flor. εἰς μίαν βουλὴν ὄντες, aut nunc est falso enotatum, aut iam olim a librariis male huc traiectum, quum referri debeat ad vocem ὁμαλοί.

Quae si intuemur, intelligimus hoc certe, glossam remansisse, periisse lectionem. Fortassis igitur glossae vestigiis insistentes lectionis vestigia indagabimus, ut si haec alicubi lateant, iis repertis, ipsa possit inveniri lectio.

Quid si adest? Etymol. Gudianum exhibet: ἐρίθυνος] ὁ ἔνδοξος, ἐρικυδέας (-δὴς) παρὰ τὸ θύνω τὸ ὁρμῶ.

Neque potest ulla esse de hoc loco dubitatio. Errorem librarii, si velles, ne posses quidem sumere, quia tum initium ἐρι, tum etymon appositum θύνω fidem comprobant. Deinde adest eadem glossa explicans, ἔνδοξος, quae in illis codicum glossis legitur. Porro in utraque voce ἐρίθυνοι et ἐρίοι eaedem litterae initiales. Praeterea constat ex aliis locis iisque haud paucis, auctores Etymologici Magni et Gudiani Scholia maximeque ad Hesiodum et Theocritum usurpasse a nostris valde diversa, ne dicam antiquiora.

At, inquis, nusquam legitur ista vox! Quid refert, inquam, si modo certum est, eam hic adfuisse; si neque repugnat ea usui neque

caret sensu, Theocritus fortassis e vita depromsit. Sed tamen nunc unum modo iam non animadvertam, sed animadversum iam pridem notatumque ab aliis in memoriam revocem: hoc dico, saepenumero glossas in veteribus Lexicis graecis adscriptas esse iunctasque inter se, quae maxime sint diversae. Inde factum est, ut Etymologus Gudianus veram lectionem ex incorrupto libro depromeret; quam autem ibi non deprehenderet interpretationem ex aliis glossis scholiisque, aliam lectionem ἐρίτιμοι explicantibus, enotaret, atque ipse de suo adderet etymon: θύνω id est ὁρμῶ.

Qualis enim in permultis Theocriti locis animadverti potest, neque vero ubique iam recte est explorata; talis in hac quoque voce obtinuit olim διττογραφία.

Antiqua et vera lectio haec erat: ἐρίθυνοι. Est ea, uti iubet Etymologus, repetenda a verbo θύνω, unde θῦνος] πόλεμος, ὁρμή, δρόμος, ut ait Hesychius, eodem modo quo a πλύνω fit πλυνός, praeterquam quod hoc corripit priorem syllabam, quae in πλυνέω et ceteris brevis fit, illud productam retinet, ut in θῡνέω ceterisque.

Itaque si cum formis ἐρίζωος, ἐρίζηλος, ἐρίβρομος, ἐρίβομβος, ἐρίβρυχος aliisque illam contuleris, significare ea videbitur σπουδαίως ἢ σὺν σπουδῇ ὁρμῶντα, θυνέοντα, concitate se moventem, valde velocem, celerem, versatilem.

At in hac voce, uti in permultis aliis Theocriti locis, sine iusta causa haerentes sive grammatici sive librarii doctiores, quos vulgo quidem falsissime omnes stupidissimos fuisse opinantur, eius loco finxerunt ἐρίθυμοι, alii etiam ἐρίτιμοι; unde glossarum ἔνδοξοι, μεγαλοπρεπεῖς origo repeti debet.

Iam vero constat illum locum nunc esse sine sensu; formas ἐρίοι et ἐρειοί voces non esse certum est; legimus in Theocriti loco illam glossam, eandemque ad vocem parum cognitam, sed non dissimilem explicandam deprehendimus in Etymologico Gudiano; errorem illic obtinere non potuisse intelligitur; quomodo corrumpi potuerit lectio et depravari, perspicitur; quae reperta est vox defendi potest ad similitudinem aliarum et sensum habet non ineptum; qui eam servavit Etymologus, eum scholia Theocriti antiquiora, saltem diversa a nostris, usurpasse constat; hoc autem loco scholia nobis deesse atque lectionis vestigia nonnisi in glossarum quasi ruinis super-

esse apparet. Quae si cuncta reputamus, temperare nobis non possumus, quin illam vocem *ἐρίθυνοι* in hunc Theocriti versum revocemus.

At numeri, inquis; quid illis fiet? Audio. At Theocritus non scripserat *πάντες ἐρίθυνοι*, quod ne aptum quidem fuisset, sed antequam hic locus corrumperetur, scriptum erat in codicibus hoc: *πάντ' ἐρίθυν^οι*, id est *πάντα ἐρίθυνοι*. *Πάντα* quid significet aut sibi velit non intelligentes, ut infra *ἄγαν* pro *ἅπαν* v. 148. fingentes, probe vero tenentes *πάντ'* denotare *πάντες*, hoc, quod notum iis erat et perspectum, posuerunt.

Quo scripto, tum ut numeri convenirent, tum quod illam syllabam *οι* non per compendium rationemque usitatissimam extremae voci impositam, sed, uti postulare videbantur numeri, emendatiorem lectionem esse putabant, et illas litteras *θυν* iam omittendas censebant, factum est, ut ex forma *πάντ' ἐρίθυν^οι*, oriretur haec *πάντ'* sive sine compendio *πάντες ἐρίοι*; quam quidem optimi codices retinuerunt, et ipso harum syllabarum *ἐρίοι* accentu, aliquid aut excidisse aut corruptum esse prodente, opinionem nostram videntur confirmare.

Πάντα ἐρίθυνοι autem sunt *πάνυ* sive *παντελῶς θύνοντες*, sive *θυνέοντες, πάνυ σπουδαίως ἐπιτρέχοντες, ἐπιφερόμενοι*, vehementer veloces et versatiles; quod haud dubie concedes convenire iis, qui *παρέρπειν* dicantur. Et quemadmodum *πᾶν, ἅπαν, σύμπαν*, ita *πάντα* quoque ponitur, ut eius loco *πάνυ* sive *παντελῶς* dici potuisset. Quos locos Kiefslingius p. 396. adscripsit Schaef. ad Theocr. XVII. 85. (p. 219.) et ad Sophocl. Electr. 1366. atque Heindorf. ad Platon. Phaedon. 19. p. 221. [rectius Phaedr.], ii minime pertinent ad hanc formulam; sed Stephan. Thes. gr. 3. p. 47. Casaub. lect. Theocr. p. 252. Brunck. ad Sophocl. Philoct. 927, Iacobs. ad Achill. Tat. p. 648, Boissonad. ad Nicet. Eugen. II. p. 379, Valckenar. ad Adon. p. 416. A., Schaefer. ad Aiac. Soph. 1415. prae ceteris autem Lobeck. ad eand. trag. 1402. Addi possint Od. *ν'*. 209. *πάντα νοήμονες*, Theocr. infra 148. *ὄξος ἅπαν*. 3, 18. *τὸ πᾶν λίθος*, Theognid. 898. *ἅπαντα σοφός*, Isocrat. ad Nicocl. c. 6. *νόμους τὸ μὲν σύμπαν δικαίους καὶ συμφέροντας*, Herodian. 4. 2. 3. *εἰκόνα, πάντα ὁμοίαν*. 1. 3. 7. *Διόνυσον πάντα μιμούμενος*, Theogn. 441. (1159.) *οὐδεὶς πάντ' ἐστὶ πανόλβιος*. Vt in illis dicitur *πάντ' ἄναλκις, ἀγαθός, σοφός, θρασύς*, ita in hoc loco habes *πάντ' ἐριθύνους*. Ceterum saepissime apostrophi signum et syllabae *ες* compendium erroribus dedisse occasionem, monuerunt, quos in edit. mai. Hesiod. *ἔργ*. p. 64. sq. laudavi.

Restat, ut illam vocem *ἐρίθυνος* fragmento Orphico 31., ex quo uno, quod sciam, vox *ἐρίθυμος* enotata est, fortassis restitui posse moneam. Tzetz. ad Hesiod. *ἔργ*. v. 506. ita illud affert:

> *πολλαὶ δ' οὐρανόθεν καὶ ἐπαρτέες ἐκ νεφελάων*
> *τῆμος ἐπόρνυνται φηγοῖς καὶ δένδρεσιν ἄλλοις*
> *οὔρεσί τε σκοπέλοις τε καὶ ἀνθρώπων ἐριθύμοις*
> *πηγυλίδες, καὶ ἔσονται ἀμειδέες· αἵδε γὰρ ὄντως*
> *τρύζουσιν καὶ θῆρας ἐν οὔρεσιν, οὐδέ τις ἀνδρῶν*
> *προβλώσκειν μεγάρων δύναται κατὰ γυῖα δαμασθεὶς*
> *ψύχεϊ λευγαλέῳ.*

Iam quomodo *ἀνθρώπων ἐριθύμοις* possint *πηγυλίδες* venire, praesertim quum *ἐρίθυμος* non valde animosum fortemque, sed iracundum significare dicatur, non perspicias. Aut ipsae *πηγυλίδες* dicantur *ἐρίθυνοι*, et plures codices profecto exhibent *ἐρίθυμοι*, aut *ἄνθρωποι* necesse est; ut hi, *πάνυ σπουδαῖοι*, sane quidem opponi possint *οὔρεσιν* et *σκοπέλοις* et arboribus.

Sed tamen ad Theocritum revertamur. Praxinoë enim postquam illa dixerat: *ἄνδρες ἔπαισδον,*

> *ἀλλάλοις ὁμαλοί, κακὰ παίγνια, πάντ' ἐρίθυνοι.*

subito conspicit equos prope advenientes, et ad praetereuntem quempiam, (neque vero ut alii volunt ad unum ex equitibus) conversa, qui ipse equos vitans et respiciens haud dubie propius ad corpus pedesve ipsius allisus erat, dicit: *μή με πατήσῃς*! Illi autem *πτολεμισταὶ ἵπποι τῶ βασιλῆος*, non sunt equites militares custodesve regis equestres, sed equi bellatores regii id est quibus rex in bello utitur (*die königlichen Schlachtrosse*). *Τὸν ἄγοντα* autem v. 54, in quo explicando omnes haerent de sessore sive equite insidente accipientes praeter unum Kiesslingium, qui de homine equum manu ducente intelligit, de uno ex calonibus sive agasonibus regiis, qui equos illos manu ducebant, interpretor.

V. 57. Verba ἐς χώραν explicantur εἰς τὴν τάξιν αὐτῶν. At equi sunt, ut vidimus, non equites; itaque iam non ad stationem ut milites abire possunt, sed deducuntur aut ad stabulum aut ad pabulum. Illud si statuas, in aulam sive palatium; hoc si placeat, rus ex urbe, cui χώρα non raro opponitur, ἐς χῶρον, ut duo codd. sine dubio hac de causa habent, abire debent. Si ἐς χώραν in stabula sua sive in palatium denotat, v. 56. ὄπισθεν dicuntur esse mulieres e vulgari ratione; sin equi e palatio rus ducuntur, significat illud: praeterivimus; ita Xenoph. Anab. I. 8. 24. in simili ratione. Ex altero modo nos a tergo sumus, ex altero nobis a tergo res est. V. 59. Ὅσος ὄχλος vera est lectio; altera, quae dicitur esse, ὄχλος πολύς, glossa est. Neque debet offendere ος productum in arsi, cfr. infra v. 90, 100., (123,) 128. I. (86,) 120, II. 152. III. 12. 33. 49. Ἐπιῤῥεῖ autem dicit illa non adversus ipsas, ut alii volunt interpretes, quod parum quidem esset aptum, quum in palatium confluant ceteri pariter atque illae; sed a tergo et a latere, circum ipsas. Respexit enim Praxinoë, ut plane certo sciret, se iam esse tutas et γενέσθαι ἤδη ὄπισθεν; simul animadvertit affluentem turbam hominum, qui non minus cupidi quam ipsae ad palatium festinarent spectaturi.

V. 60. Comprobo lectionem ἐγών, ὦ τέκνα. Γ. Παρενθεῖν εὐμαρές;

Altera: ἐγών, τέκνα. Γ. εἶτα παρενθεῖν εὐ. sine dubio grammaticis originem debet; neque vero in novem codicibus ea apud Gaisfordum deprehenditur, ut ait Kiefslingius, sed in tribus tantum hisce: S. 7. 10., reliqui enim qui εἶτα habent non omittunt illud ὦ, et C., qui ὦ non habet, εἶτα omisit.

In verbis quae anus reddit, multi codices Ionicas formas exhibent, ut si tantum his esset momentum non pugnarem, si quis scriberet:

Γρ. Ἐς Τροίην πειρώμεναι ἦλθον Ἀχαιοί,
Καλλίστα παίδων· πείρῃ θὴν πάντα τελεῖται.

Θὴν enim, cuius loco cod. P: δὴ exhibet, ut Homericum retineri potest; dualis forma (Il. VIII. 378.) non offendit. Quum iam a Psammetichi temporibus permulti Iones in Aegypto versari solerent, mulier Ionicae originis Ionice loquens h. l. non offenderet, et facilius fortassis intelligi posset, cur de Troia potissimum illa dixerit. Iam vero propter hanc antiquissimae historiae notitiam Praxinoë (πάντα

γυναῖκες ἴσαντι) sciunt, inquit, mulieres vel maxime recondita, et antiquissimorum temporum famam tenent; ἴσασι, non curiosae sunt, ut alii volunt, sed norunt, quae vel deos latent. Sic enim, neque mystico quodam sensu haec dicta accipiam. Ceterum ad v. 63. 64. et 65. personas rectissime et e codicum adeo auctoritate disposuerunt Valckenarius et Brunckius.

V. 66. sq. Praxinoë acclamat servae suae levi et curiosae: Λαβὲ καὶ τύ, Εὐνόα, Εὐτυχίδος· πότεχ' αὐτᾷ, μὴ τὺ πλανηθῇς. Illa autem πότεχ' αὐτᾷ minime possunt significare: attende ad eam i. e. Eutychidem, Gorgonis servam; sed denotant: tene illam prehensam. Hoc quidem iam monuerat: Λαβὲ etc. dicens; sed quum serva levis circumspiceret curiosa, denuo etiam inculcat ἀπρὶξ ἔχευ. Quum enim haec aliam quaereret penetrandi viam, domina addit: μὴ τὺ πλανηθῇς. Quodsi idem praeceptum, quod bis, λαβὲ et ἀπρὶξ ἔχευ, debet ferri, ter ferendum non videatur; illud πότεχ' αὐτᾷ ut προςέχειν νήσῳ, λιμένι aliisve, explicandum est: mane hic prope eam, ne (avulsa a nobis) erres.

Iam igitur in unum conglobatae iunctaeque impetum faciunt, tundunt et tunduntur, modo ut introëant. In ista percutientium et luctantium turba laceratur Praxinoës vestis, quam haec deplorans: τὸ θερίστριον ἤδη ἔσχισται, amicae dicit. Quid sit θερίστριον alii nesciunt, Riemerus in Lex. Winckelmanno obsequutus de καλύπτρᾳ velamine capitis interpretatur, Kiesslingius quampiam τοῦ ἀμπεχόνου speciem, quum plures essent, denotari suspicatur. Θέριστρον sive θερίστριον, aestiva vestis, ex lege est opposita τῷ χειμάστρῳ, hibernae; ut hoc est crassius, ita illud levius et tenuius vestimentum, *ein Sommerkleid*, cfr. Hesych., Suid., Zon., Cyrill., Harpocrat. v. σείρινα, Toup. Opusc. I. p. 539., Aristaenet. Ep. I. 27. ibiq. Pauw., et Bast. Specim. p. 36., Alciphron. Ep. fr. 4. ibiq. T. II. p. 221. Wagner., Iacobs. Anth. gr. VIII. p. 281. Quod quum e rei natura tenue esset, λεπτόν Schol. Theocr. ad h. l., λεπτὸν ὕφασμα Hesych., διαφανές Lex. ibi in not. comm., Harpocr. l. l., ἀσπάθητον idem; omnino pro veste tenui poni poterat, ut ap. Myrin. ep. 2., Anal. Brunck. II. p. 107., Aristaenet. l. l.; sive ea uterentur mulieres, ut ap. Alciphr. et in plur. loc., sive iuvenes, ut ap. Aristaen. l. l. In vestitu autem mulierum Doriensium τὸ χιτώνιον solebat proximum esse ad corpus, huic iniectus ὁ σχιστὸς

χιτὼν sive ἡ περονατρὶς, denique superior vestis χιτὼν ὀρθοστάδιος, περίβλημα, περιβόλαιον, ἀμπέχονον, ἀμπεχόνη. Atque de hac manifesto interpretantur veteres τὸ θέριστρον, alii περίβλημα sive περιβόλαιον, alii ἀναβολὴν, ἀναβόλαιον, ἀναβολάδιον dicentes, et Pollux VII. 49. clare accenset τοῖς χιτῶσι τοῖς ὀρθοσταδίοις hoc est superioribus vestibus quae non comprehendebantur cingulo, sive talares essent, sive supra genua desinerent, ut de hac Dorica probabile est. Apparet igitur τό θερίστριον idem esse, quod τὸ ἀμπέχονον v. 71. Atque ita hoc intelligo, ut Praxinoë amicae rem denotaret dolens eo nomine, quod subtilitatem et praestantiam indicaret, ad illum autem ξένον conversa, ut, quid vellet, is intelligeret, usitatum nomen et rei inhaerere solitum proferret. Non est igitur alia vestis v. 71. τὸ ἀμπέχονον, sed illa ipsa, quae modo damnum accepit. Ac censeas profecto id iam intelligi potuisse a VV. DD., quum inferior quaepiam vestis et minus esset tenuis, minus igitur damno obnoxia, et vix esse posset lacerata non laesa superiore.

Scissum quidem erat illud ἀμπέχονον, sed ne plane periret, rogavit Praxinoë proximum in turba, ut id vitaret. Ut vitaret, inquam, neque vero, ut tueretur aut servaret. Nescio enim cur haereant interpretes in verbis φυλάσσεο τὠμπέχονόν μευ, quum sit ex ordine dictum φυλάσσεο, ut 3, 5., cave, neque vero palliolo meo, sed palliolum, hoc est: vita illud, noli me tangere, ne iam scissum plane pessum eat. Hoc certe non obstat, quod infra dicitur ille vir ἄμμε περιστέλλων, nam e ceteris apparet, illum χρηστὸν καὶ οἰκτίρμονα ultra modum, quem et rogare et sperare possent istae, fuisse officiosum. Appellatur autem ille ἄνθρωπε, ut alibi ἄνερ, cfr. IV. 62. Xen. Cyrop. II. 2. 2, Reitz. ad Lucian. T. I. p. 506., Dawes. Miscell. crit. p. 262., Heindorf. Plat. Gorg. p. 20., Lobeck. ad Soph. Aiac. p. 398, et postea ἐκ καλῷ εἰμὲς inquit, non hoc dicens, quod putant interpretes: in salvo sumus; sed iam sumus in loco opportuno, ubi conspicere possumus omnia. Cfr. locos ad Lamb. Bos. Ell. p. 484. sq. adscriptos, add. Boissonad. Philostr. p. 312. Aelian. Var. H. II. 13. fin. Videbis ibi dici ἐν καλῷ χωρίῳ aut ἐ. κ. τόπου, πόλεως, θεάτρου, Σικελίας, loco commodo, opportuno; ut ambiguo sensu dici possit a Xenophont. Hist. Gr. VI. 2. 6. κεῖσθαι τὴν Κέρκυραν ἐν καλῷ μὲν τοῦ Κορινθιακοῦ κόλπου (opportune ad illum sive respectu eius) ἐν καλῷ δὲ τοῦ τὴν Λακωνικὴν βλάπτειν (ad - sive ut-), ἐν καλλίστῳ δὲ τῆς Ἠπείρου. Facete autem Praxinoë v. 73. id in alium sensum deflectit.

In v. 77. vix potest certo definiri, utrum ad ipsum sponsum, an ad patrem eius proverbium illud debeat referri. Quum enim vocem νυὸς latius patere docuerit Albert. ad Hesych., quam censuit Valckenarius, atque ipse Theocritus c. XVIII. 15. sponsam ita dixerit, potest intelligi sponsus ὁ ἀποκλάξας; nam quod e lege dicendum erat ἀποκλαξάμενος (ut XV. 5), facile excuses permultis locis. Et profecto, quum quod sciam non soleret pater illos deducere in thalamum nuptialem, de sponso potius intelligendum videtur. Utut est, quum iuvenes maximeque puellae ante ianuam congregari solerent, ut epithalamium decantarent, aditum flagitarent, lacesserent, iis respondetur, esse iam intus, quotquot debeant. Misere detorquet h. l. Briggsius interpretans: *qui puellis secum admissis uxorem excludit.*

Itaque quum iam omnes intrarint, primum Gorgo ad ἔργα γυναικῶν, quae γυναῖκας maxime allicere debent, amicam et sese convertit, stragula opere Phrygio picta admirans. In verbis λεπτὰ καὶ ὡς χαρίεντα nisi malueris simplicem rationem sequi, ut ὡς ad χαρίεντα solum pertineat: stragula tenuia, et quam venusta! eam sumas, qualis in praepositionibus frequens est, ut ὑσμίνῃσι καὶ ἐν στονόεντι κυδοιμῷ, ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς, cfr. quos laudavit Passovius in progr. de Sophocl. Trachin. 1820 edito p. 8. Verum etiam negotia facessunt verba θεῶν περονάματα φασεῖς. Quum enim περονάω non sit acu pingere, sed fibula perfodere et constringere, quod alienum videbatur ab hoc loco, coniecerunt Reiskius θεῶν περ [νήματα] νάματα, Valckenar. θεάων νήματα, Iacobs. θεῶν πάρα νάματα, Ruhnken. θεῶν γε πονήματα, Wassenberg. θεῶ (Palladis) γε πονήματα, Graef. in Epist. cr. in Bucol. p. 67. τορνεύματα, Briggs. περνάματα, Deorum merces, ut ait: plerique locum Hom. Od. κ'. 222. οἷα θεάων λεπτά τε καὶ χαρίεντα καὶ ἀγλαὰ ἔργα πέλονται similem esse rati. Steinbrüchelius suspicatur τεχνάματα: non male, nam, si litteras spectes, ea vox in Aristoph. Thesmophor. 204. (198 Br.) corrupta erat in στενάσματα, ubi Suidas recte habet τεχνάσματα, ut h. l. simili modo corrumpi potuerit, atque, si sensum contempleris, prope ea accedit ad θεῶν δαίδαλμα, quod I. 32. legimus. Ne quis forte hallucinetur περκνώματα, quum in cod. P. legantur περνεύματα, ex Hesychio affe-

rens *ποικίλματα* ea dici; moneam, ibi addi *τοῦ προςώπου*, ut intelligendae sint maculae fuscae in facie. Sed tamen *περόναις* constringebantur vestes in humeris, *πόρπῃ* sub pectore (Pollux VII. 54); quum autem *πόρπη* potuerit significare *τὴν χλαμύδα*, cfr. Etym. M. v. *ἐφετρίς*, et *ἐμπερόναμα* aut omissa praepositione et forma tantum mutata *περονατρίς* vestem denotet; quidni credamus cum Spanhemio aliisque *περονάματα* significare vestes, primum quidem quae fibulis constringantur, deinde vero omnes eius generis, ut *θεῶν περονάματα* sint *περονατρίδες θεῶν, ἀμπέχονα, ἐσθῆτες*? Hoc certe facilius concedam, quam quidquam e coniecturis, quarum optima Ruhnkenii est, quum *πονήματα* in Anthologia sic ponantur, et propter sqq. *ποῖαί σφ' ἐπόνασαν ἔριθοι*! haec vox commendetur. Haec autem stragula propter picturae praestantiam Deorum vestimentis comparanda dicuntur, quia Diis maximeque Deabus tribuuntur talia et apud scriptores et in monumentis antiquae artis. Pollux. VII. 55. *ὁ δὲ κατάστικτος χιτών ἐστιν ὁ ἔχων ζῶα ἢ ἄνθη ἐνυφασμένα, καὶ ζωωτὸς δὲ χιτὼν ἐκαλεῖτο καὶ ζωδιωτός.*

Disceptatum est, qui sint *οἱ ζωογράφοι*, quae *τὰ γράμματα* v. 87. Dicam, quod sentio; neque picturae lineares in ipso opere textili descriptae a pictoribus, quas mulieres acu pingentes sequerentur, neque imagines denotantur, quas iuxta positas intuerentur texentes, ut artem manumque ad exemplar dirigerent; neque putem nunc subito ingenium mulieris mobile a textilibus ad pictas imagines in vicinia conspicuas converti; sed v. 80. opifices illa laudat propter subtilitatem staminis et textilis operis praestantiam, versu 81. autem artificum elegantiam admiratur, qui figuris intexendis aut acu pingendis opus exornaverant. Et propter ipsum hoc picturae genus illi dicuntur *ζωογράφοι*, ut ii adeo, qui variarum imaginum coloribus illustrant orationem, ap. Aristaenet. Ep. 27 et saep. *Γράμματα* de picturis comprobant Valcken. h. l. et, quem laudat, Davis.; add. Iacobs. Anth. gr. T. 6. p. 186.

Hucusque mulieres inferiora et ad latus erecta fuerant admiratae; nunc intuentur ipsam Adonidis effigiem *ἐπ' ἀργυρέω κλισμῶ*, id est *ἐπάνω αὐτοῦ*, recubantem; *ὃ*, addunt, *κὴν 'Αχερ. φ.* hoc est *οὗτος, τοῖος ὤν*, neque vero: qui, ut solet explicari. Atque diu porro ista garrulitate ultra omnem temperantiam omnia pertractassent, nisi

forte quisquam proxime adstantium fastidio correptus repente sibi moderari amplius non potuisset, quin exclamaret:

Παύσασθ' ὦ δύστηνοι, ἀνήνυτα κωτίλλουσαι κτλ.

Quem locum nitidissimum doleo ab interpretibus non esse intellectum, a Bothio autem mutando depravatum. Doricae formae nonnisi in v. 87. retineri debent; at huic priori (86) restitui Ionicae. Hoc non ostendam e cod. Flor. p. 369. T. II. Warton., in quo *δύστηνοι* legitur, licet hoc et permulta alia Gaisfordus neglexerit, neque ex editione Calliergi, neque e loco Schol. Hermogen., ubi eadem forma, neque e gloss. Laurent. et ipsis scholiis, in quibus *'ΑΝΗΝΥΤΑ (καὶ ἄπειρα)* maioribus his litteris scribi debet, quum verbo poëtae *ἀνήν.* Scholiastes annectat glossam *καὶ ἄπ.*, cuius loco etiam scribere potuisset *ἤγουν ἄπ.*, neque adeo e Gregorio Corinthio, qui *δύστηνοι* et *ἀνήνυτα*, neque e Schol. Hermogen., qui *κωτίλλουσαι* exhibet; sed e sensu ipso et tenore sententiarum. Reponit enim Gorgo illi *ξένῳ* ita, ut versu 89. *τί δὲ τίν, εἰ κωτίλαι εἰμές;* respondeat de loquacitate verbo *κωτίλλουσαι* notata; deinde vero versu 93. sq. *Πελοποννασιστὶ λαλεῦμες· Δωρίσδεν δ' ἔξεστι, δοκῶ, τοῖς Δωριέεσσι* de dialecto, quum ille risisset *πλατειασδοίσας*. Ergo tantum abest, ut ipse Dorica dialecto utatur, ut illudat illis *δωριζούσαις*, quod *πλατύνουσαι* omnia proferant. Nihil igitur minus convenire dicas, quam ut ipsum Dorice loquentem introducamus; neque vero magis apte Bothius ad Sophocl. T. II. p. 394. in Atticam dialectum utrumque versum reduxit. Immo ille *ξένος* indignatus primum quidem effervescente ira quo solitus erat sermone eoque haud dubie Ionico utitur; iam vero quasi aculeos admiscens paullulum aversus et quasi ad alium directa oratione, diducto ore Doricam linguam imitando perstringit iisque illudit. Atque ita fere iam Scholiastes Hermogenis intellexisse videtur. Habes ibi teste Koenio ad Gregor. Cor. p. 329. Schaef. haec: *ὥνπερ ἀκούσας τίς φησιν ὡς ἀχθεσθεὶς ἐκείναις· ὡς πλατειάζουσαί εἰσι καὶ λέγουσι πλατέως —. Εἶτα, καὶ ὡς πρὸς ἕτερον τὸν λόγον ἐπιφέρει· Τρυγόνες ἐκκν. κτλ. ἀντὶ τοῦ διαφθείρουσαι ληροῦσιν ὡς τρυγόνες.* Bastius l. l. p. 330. haec enotavit: *ἐν ᾧ τινὰ εἰςάγει δυςχεραίνοντα πρὸς τὰς δωριαζούσας γυναῖκας τάδε (ἔπη)· παύσασθ'* etc. *εἶτα ἐπιφέρει, ὡς πρὸς ἕτερον λέγων· τρυγόνες ἐκκν. ἀντὶ τοῦ διαφθείρουσιν, ὡς τρυγόνες φλυαροῦσαι.* Schol. Theocr. *εἶτα πρὸς ἑαυτὸν ἐπιστρέφων· τρ. κτλ.* Hoc

tantum dubites, utrum cum Reiskio, Tib. Hemsterhus., Valckenar. aliisque coniungas κωτίλλουσαι τρυγόνες', an ex antiquorum testimoniis et auctoritate seiungas ita scripta: κωτίλλουσαι· τρυγόνες, ἐκκναισεῦντι κτλ. Quum κωτίλλειν dici potuerit sine avium nomine ac sine respectu adeo earum, ut in illis αἱμύλα κ., μαλθακὰ κ. et innumeris aliis; magis probabilem dicas antiquam rationem. Ita enim, qui hucusque conviciis abstinuerat, nunc, et acerbius invehens et opportunitate verbo κωτίλλειν forte prolato data, καὶ μῶμον ἀνάπτει χλευάζων. Ἐκκναίουσαι dicuntur, uti ἀποκναίοντες, eos, qui audire debent, cfr. Koen. ad Gregor. Cor. p. 331. Schaef., et Ruhnk. ad Tim. Lex. p. 42. Nihil est igitur sanius hoc loco, quem Salmasius ἐκκνυζεῦντι (*ganniunt*), Valckenar. ἐκκναίοντι aut ἐκκνυσδοῦντι, Heinsius (τρυγόνες) ἐκ ναύσοιο (pro νάσοιο, *e Sicilia*, ut ait), Briggsius τρυγόνες ἐν σκηναῖσι (*in tabernis venales*) coniicientes lacessiverunt; cfr. αὐλησεῦντι Idyll. 7. 71. et Callim. lavacr. Pall. 115. δειπνησεῦντι. Ita se habet:

Ἕτερος ξένος [unus e proxime adstantibus, irato vultu increpans]
Παύσασθ' ὦ δύστηνοι, ἀνήνυτα κωτίλλουσαι!
(paullulum aversus et os ducens.) Τρυγόνες· ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα.

Hört auf, Unglückseel'ge, mit endlos plapperndem Papeln!
(mit Grimasse) *Die Staarmätz'; uam brängen di all's noach mit braitem Getrahtsche.*

At vero iam consistamus necesse est, quum in reliqua carminis parte plura restent explicanda, quam quae hac commentatione possint comprehendi. Eo igitur perducta disputatione, ut iam et potiores et plurimae difficultates si minus remotae, at motae certe possint videri; perveniamus ad id, cuius causa haec conscripsimus. Sunt enim *Vobis, Viri ornatissimi*, qui magisterii honores tanquam doctrinae praemia vitaeque *Vestrae* ante actae ornamenta consequi cupitis, indicenda colloquia, quibus Ordini nostro comprobetis, optimarum artium et litterarum studiis *Vos* recte esse excultos. Itaque *Vos* rogo, ut ante diem XVIII. mensis Ianuarii nomina *Vestra* apud me profiteamini. Ceterum ad res *Vestras* quocunque modo possim iuvandas me ipsum putate semper fore paratissimum.

P. P. Dom. I. Adv. Christi a. cIↄIↄcccxxii.